79 90

7
S-D
90

19 D

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

79.3.28

7-8.D.90

Digitized by Google

IVDICIA ERVDITORVM
DE
ORIGINE ELECTORVM,
CVM
VERA SENTENTIA COMPARATA,
ET
CVM DIPLOMATIBVS
huc ſpectantibus coniunctim edita
A

M. IO. GVILELMO IANO,
Ordin. Phil. in Academia Vitemberg. Adi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VVITTEMBERGAE,
Sumptibus & typis CHRISTIANI GERDESII.
A. C. MDCCXI.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DN. BERNARDO ZECHIO,

POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS ATQVE ELECTORIS SAXONIAE INTIMO STATVS MINISTRO ATQVE CONSILIARIO, ETC.

DOMINO AC MAECENATI SVO BENIGNISSIMO

OPVSCVLVM HOC DE ORIGINE ELECTORVM DEMISSE OFFERT,

ET PVBLICVM PIETATIS AC OBSERVANTIAE SVAE MONVMENTVM ESSE

CVPIT

AVCTOR.

PERILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIME

DOMINE,

SI non cum ſumma amplitudine par humanitas et erga bonas literas propenſio in TE certarent, perpetuo potius intra ſcholarum umbras hoc, quicquid eſt, commentationis deliteſceret, quam illuſtriſſimae luci, in qua magis indies meritorum TVORVM gloria exſplendeſcit, ſeſe offerret. Sed quem-

admo-

admodum inter excellentiſſima uirtutum praeſidia, quae ad tantum Te faſtigium extulerunt, doctrinae ornamenta non poſtremo loco numeras, ita nec in illo ipſo Muſas aſpernaris, aut quicquam de amore earum remittis. Quo fit, ut homines illis deditos, etſi hac etiam parte longe infra Te poſitos, fauore Tvo complecti, et pro ea, qua apud Potentiſſimum Regem uales, gratia et auctoritate, uelut alter quidam Maecenas, tueri ac ſubleuare digneris. Tali fiducia fretus libellum hunc ex diſputationibus quibusdam Academicis collectum cum ſumma, quae clientem decet, obſeruantia et obſequioſi animi ſignificatione Illuſtri Nomini Tvo inſcribere et conſecrare auſus ſum. Etſi uero ille neque ingenii nec eruditionis laude Tibi ſe commendare poſſit, argumentum tamen ſplendidisſima, quam ſuſtines, perſona non prorſus indignum complecti uidetur. Cum enim longo abhinc tempore in Maximorum Principum atque Electorum aulis ita uerſeris, ut intimorum conſiliorum particeps ampliſſima quaeque pacis et belli negotia, cum ſingulari reipublicae emolumento et immortali Nominis Tvi laude, adminiſtres, non iniucundum forſitan erit, quae de iſtorum origine non tantum ab hominibus umbratilium exercitationum pulueri, ſed publicarum quoque rerum tractationi aſuetis aliquot retro ſeculis tradita ac diſputata, Tibique iam pridem cognita ſunt, uno

ueluti

Digitized by Google

ueluti conſpectu intueri. Meos autem qualescunque in vero Electorum primordio inueſtigando conatus uel hoc uno nomine ſpe ſua non prorſus excidiſſe, confido, quod opinio mea cum accuratiſſimo hac de re iudicio libri, quem publica fama, non ſine ſingulari encomio, TIBI tribuit, conſentiat. Si quid uero in aliis partibus offenſum fuerit, id ut optimam in partem explicetur, demiſſe contendo. Ceterum ſatis habebo, ſi uel ſolam pietatem, cuius teſtimonium ac pignus in hoc qualicunque labore extare uolui, TIBI, DOMINE, probauero. Vt ergo eum, pro conſueta humanitate, propitius recipias, mihique inter clientes TVOS locum aliquem concedas, demiſſe obſecro atque contendo. Ad Deum uero immortalem religioſisſimas fundo preces, ut ILLUSTR. EXCELLENTIAM TUAM una cum ILLUSTRI GENTE ZECHIA aulae Regiae ſplendori, Saxoniae incremento ac literarum praeſidio quam diutiſſime ſaluam, florentem et omni felicitatum genere abundantem praeſtet, conſilia ad publicam ſalutem tuendam ſpectantia fortunet, cum ſummis, quae in TE contulit, uirtutum ac dignitatum ornamentis annos aequet, atque adeo omnium bonorum uotis pro incolumitate TVA nuncupatis exitum fortunatiſſimum reſpondere patiatur. Dab. Vitembergae, Kal. Febr. A. R. S. cIɔ Iɔ cc XI.

PRAEFA-

Q. D. B. V.

PRAEFATIO.

NOn male operam collocare uel de re literaria mereri uidentur, qui de argumentis dubiis et in utramque partem diſputandi materiam praebentibus uarias eruditorum ſententias et rationes colligunt, atque adeo, quae numero aut quae pondere plus ualeant, uno quaſi conſpectu intuendum proponunt. Nam nec uno omnes iudicio ferimur, et uſu ſaepe uenire ſolet, ut in magno etiam doctiſſimorum uirorum conſenſu, diuerſas nihilominus aliorum opiniones requiramus. Praeterea ueritas nunquam clarius eluceſcit, quam ſi cum errorum tenebris, aut inanium commentorum ſpe-

cie comparetur. Qua de cauſa, cum non ita pridem, in explicanda medii aeui hiſtoria, ad impeditam illam de Origine Electorum controuerſiam ueniſſem, et Eruditorum Iudicia de Symbolo Athanaſiano, de Origine Cardinalium et aliis huiusmodi argumentis ab aliis collecta, multorumque applauſu excepta meminiſſem, conſilium cepi ſimile quippiam in re non minoris profecto uel dignitatis uel utilitatis tentandi. Propoſitum uero mihi eſt, non ſimplices tantum auctorum opiniones recenſere, ſed argumenta etiam, quibus nituntur, et dubitandi rationes, quibus praecipue oppugnari ſolent, adiungere, ut de uniuscuiusque ueritate uel falſitate uel uoriſimilitudine in promtu ſit iudicare. Simul etiam id agam, ut hiſtoria iſtarum controuerſiarum perſpicue ob oculos ponatur. Ordinem denique eum potiſſimum ſequar, quem ratio temporum, a quibus tam diuerſimode origo Electorum repeti ſolet, ſuppeditabit. Quod ſi hac opera ab iis gratiam iniero, quibus tantum abs re ſua otii non eſt, ut, quae de amplo hoc argumento ſcire cupiunt, operoſe ex multis libris conquirant, id in lucro deputabo: ſin ne iſtud quidem aſſecutus fuero, uel ſolo uoluptatis fructu, quem ex his ſtudiis peto, qualemcunque colligendi laborem ſatis compenſandum arbitrabor.

Cap.

Digitized by Google

CAP. I.

DE

STATV CONTROVERSIAE.

§. 1.

SI quid unquam eruditorum animos in diuerſas ſententias diſtraxit, et ancipiti uerum a falſo recte diſcernendi difficultate affecit, neſcio, an hoc in ullo magis, quam praeſenti, quod explicare ingredimur, argumento euenerit. Nam non modo noſtrates in eo a coetus Romani aſſeclis plerumque diſſentiunt, ſed utrique etiam inter ſe diſcrepant, et dum quisque aut ea, quae rationibus ſuis maxime accommodata putat, pro ueriſſimis amplectitur, aut ſpecioſiora, quam ceteros, ſe prolaturum credit, ea ſenſim opinionum multitudo atque uarietas orta eſt, in qua excutienda initium facilius, quam exitum reperire poſſis. Vt ergo tam diffuſae et ſua quaſi mole laborantis controuerſiae hiſtoriam, iis, quae ab inſtituto noſtro remotiora ſunt, excluſis, in compendium mittamus, et in iuſtum aliquem ordinem redigamus, tria cumprimis, antequam ad rem ipſam ueniamus, obſeruanda eſſe, arbitramur:

1. Quid nomine Electorum ſignificetur,
2. A quo tempore iſti in Imperio Germanico locum habuerint,
3. Quomodo generatim opiniones de illorum origine inter ſe differant.

§. 2. Primum igitur Electores nobis hoc loco ſunt illi Germaniae Principes, qui ſoli perpetuum ius Imperatorem Romanum eligendi et Germanici regni corona ornandi obtinent. *Conf. Conring. de Imp. Rom. Rep. pag. 115.* Vnde adeo hic prorſus ſeiungimus officia, quae uocari ſolent, aulae et Cancellariae, quae tametſi hodie cum di-

Digitized by Google

gnitate Electorali cohaerent, olim tamen nec cum eadem coniuncta, nec ad certam ſemper ſedem uel familiam adſtricta fuerunt. Quo quidem ſenſu ea antiquiſſima eſſe, facile concedimus. Nam *Viticbindus* Monachus Corbeienſis in *Annal. Lib. II. ſub init.* ſolenne conuiuium poſt Ottonis I. inaugurationem deſcribens, ſecularia Officia coniunctim his uerbis memorat: *Diuina deinde laude dicta ſacrificioque ſolenniter celebrato, deſcendebat rex ad Palatium, et accedens ad menſam marmoream, regio apparatu ornatam, reſedit cum Pontificibus et omni populo: Duces uero miniſtrabant. Lotbariorum Dux Giſelbertus, ad cuius poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat* (h. e. ut *Goldaſtus Lib. III. de Iuribus Regni Bob. cap. 8.* cum eoque *Conringius Exerc. de Officialibus Imp.* §. *XII.* explicat, Camerarium agebat) *Euerhardus menſae praeerat, Herimannus Franco Pincernis: Arnulpbus equeſtri ordini & eligendis locandisque caſtris praeerat.* Et ſub Ottone III. in ſacro Paſchali Quedlinburgi celebrato eosdem officiales inducit *Ditmarus Merſeb. Cbron. Lib. IV. Quatuor,* inquiens, *miniſtrabant Duces: Henricus* (Dux Bauariae) *ad menſam, Conradus* (Dux Franconiae) *ad Cameram, Hecil* (Palatinatus) *ad Cellariam, Bernbardus* (Dux Saxoniae) *Equis praefuit.* Similiter Archi-Cancellarii munus iam Caroli M. aetate uiguiſſe, poſtea uero ſub Ottone I. cum Moguntina, ſub Friderico I. cum Colonienſi et progreſſu temporis etiam cum Treuirenſi ſede perpetuo iure coniunctum fuiſſe, *Bernbardus a Mallinkrot L. de Archicancellariis Imper. Lebmannus in Cbron. Spir. L. II. c. 1.* et *Conringius in Exerc. de Officialibus Imp.* §. *IIX. ſqq.* confirmant. At enim uero illos propterea ſimul etiam Electores proprie ſic dictos, fuiſſe, nemo niſi rerum imperitus, aut qui ex ſuae aetatis conſuetudine omnia uetera diiudicanda putet, affirmauerit, cum non modo nullum eius rei ueſtigium, ſed

omnia

omnia etiam contraria apud probatos illorum temporum ſcriptores reperiantur.

§. 3. Dum uero ius iſtud in definitione quibusdam Germaniae Principibus *ſolis* tribuimus, excluſio illa duplici modo intelligi poteſt, uel ex toto et abſolute, ut ceteri Principes nullo prorſus modo in conſilium eligendi Imperatoris adhibeantur, quod hodie, et inde a promulgata Aurea Bulla fieri, inter omnes conſtat: uel ex parte et ſecundum quid, ut certi tantum actus quorundam Principum in hoc negotio proprii ſint. Huiusmodi minus proprie ſic dictos Electores deſcribere uidetur *Speculum Sax. Lib. III. Art. 57.* An des Kǎyſers Wahl ſoll der erſte ſeyn/ der Biſchoff zu Mǎyntz/ der andere der Biſchoff von Trier/ der dritte der Biſchoff von Cölln. Unter den Layen-Fürſten/ iſt der erſte an der Wahl der Pfaltzgrafe beym Rhein/ des Reichs Truchſes/ der andere der Hertzog von Sachſen/ der Reichs Marſchalck/ der dritte der Marggraff von Brandenburg/ des Reichs Cämmerer/ der vierdte der Schencke des Reichs/ das iſt der König von Böhmen/ der hat keine Wahl/ darum/ daß er nicht deutſch iſt. Und alſo kieſen ihn des Reichs Fürſten beyde Pfaffen und Layen. Die dazu dem erſten in der Wahl benannt ſind/ die ſollen nicht wehlen nach ihren Muthwillen/ wen ſie wollen/ ſondern welchen die Fürſten alle zu einen König erwehlen/ den ſollen ſie auffs allererſt benennen und Kieſen. Et *Albertus Stadenſis in Chron. ad A. 1240.* Papa Gregorius, inſolentis Imperatoris (Friderici II.) contra Eccleſiam metuens, principes ſuper electione ulterius ſollicitauit, ſed nihil profecit, quia quidam Principum illi reſcripſerunt, non eſſe ſui iuris, Imperatorem ſubſtituere, ſed tantum electum a Principibus coronare. Electio enim ad iſtos dignoſcitur pertinere. Ex praetaxatione Principum et conſenſu eli-

 gunt

„gunt Imperatorem Treuirenſis, Moguntinus et Colo-„nienſis - - - Palatinus eligit, quia Dapifer eſt, Dux Saxo-„niae, quia Marſcalcus, et Marggrauius de Brandenburg, „quia Camerarius, Rex Boëmiae, qui Pincerna eſt, non „eligit, quia non eſt Teutonicus. Ex quo infert *Conringius in Exerc. de Ducibus ex Comit. Imperii Germ. §. 40.* Commodioris electionis gratia a toto Principum conuentu quibusdam Primatibus fuiſſe demandatum, ut praeconſultarent, quis eligendus: cui ſi toti etiam conuentui ita uiſum fuerit, regnum delatum ſit. Cumque procul dubio illi, qui officia illuſtria Regiae aulae obiuere, aliis Principibus praecelluerint, hinc factum, ut ius illud προβουλείας de eligendo Imperatore ad ſolos hos deuenerit. Vtrum ceteroquin totus ille Alberti locus germanus an (quod nonnulli ſuſpicantur) corruptus et interpolatus, utrum praeterea ius praeconſultandi officialibus, an potius reliquis Principibus conuenerit, hic non diſputamus. Illud ſaltem monemus, nos h. l. potisſimum de prioris generis Electoribus ſollicitos eſſe, tametſi etiam in poſteriorum originem et antiquitatem inquirere non prorſus ab inſtituto noſtro alienum iudicemus.

§. 4. Quod ad *alterum* momentum attinet, inter omnes facile conuenire, exiſtimo, Electoribus eiusmodi, quales deſcripſimus, prius locum non fuiſſe, quam Germania 1. in unum quaſi corpus coaluit, 2. ſeparatas a Francia Occidentali rationes habere coepit, et 3. poteſtatem Imperatoris eligendi, ut propriam ſibi uindicauit. Cum enim ſingulae eius gentes adhuc diſtinctas reſpublicas conſtituerent, uix cogitatione fingi poteſt, quomodo communi conſilio communem regem uel Imperatorem, qualem nondum agnoſcebant, eligere potuiſſent. Contra eo tempore, quo eidem ac Franci Occidentales, regi parebant, latius patebat iſta eligendi facultas, quam

ut

ut ad ſolos Germanos reſtringi poſſet: imo, ſi dicere uelimus, quod res eſt, multo potiori iure ad illos, utpote uictores, quam ad hos, tanquam uictos, ſpectare uidebatur: Denique poſt Franciam Orientalem ab Occidentali ſeparatam, in illa VIIuiri fortaſſe regem Germaniae, ſi praeſertim heres deficeret, ſed nequaquam Imperatorem, cuius dignitas priori illi ac regiae nondum innexa erat, eligere potuiſſent: niſi abſurde Germanis ius de rebus ad illos non pertinentibus ſtatuendi affingere uelimus. Quibus uero temporibus ſingulae hae conuerſiones acciderint, neminem uel mediocriter in ueteri hiſtoria Germanica uerſatum fugere poteſt. *Prima* uidelicet auſpicio potisſimum *Caroli Magni* facta eſt, qui poſt Alemannos, Boios et Thuringos iam a maioribus ſuis ſubactos, *omnes* reliquas *nationes, quae inter Rhenum ac Viſtulam fluuios, Oceanumque et Danubium poſitae, lingua quidem pene ſimiles, moribus uero atque habitu ualde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit*, teſte *Eginbardo* in uita Caroli Magni. *Secunda* deducitur a celebri illa pactione Virodunenſi, qua filii Ludouici pii poſt funeſtum praelium Fontaneticum, imperium paternum ita inter ſe diuiſerunt, ut Ludouico Germania, ſiue, ut tum uocabatur, regnum Francorum Orientale, Carolo regnum Occidentale, uulgo Gallicum dictum, Lothario autem natu maximo Italicum ſiue Longobardicum cum luculento terrarum tractu inter duo priora regna interiecto, ac Imperatoria dignitate, iure perpetuo et ad omnes poſteros duraturo, tribueretur. De qua re auctor Annalium Francorum illi aetati proximus ad A. DCCCXLIII. *Apud Virodunum*, inquit, *Galliae ciuitatem tres reges menſe Auguſto conuenientes regnum inter ſe diſpertiunt: Et Hludouicus quidem Orientalem partem accepit, Karlus uero Occidentalem tenuit, Hludarius, qui maior natu erat, mediam inter*

eos

eos ſortitus eſt portionem. Idem confirmant *Regino Chr. L. II. ad a. 842. Marianus Scotus Chronic. L. III. aet. VI. ad e. a. Sigebertus Gemblac. in Chronograph. ad a. 843.* qui fines etiam ſingulorum regnorum praecipue Germanici accuratius definiunt. *Tertia* denique et hic prae ceteris obſeruanda mutatio in Ottonis M. tempora incidit. Nam poſt Italicam familiae Carolingicae propaginem extinctam, Imperium quaſi uagum, non tam libera et legitima electione, quam ui et Pontificis Romani artibus, modo ad Francos Occidentales, modo ad Orientales, modo ad Italos delatum eſt, imo, iudicio *Conringii de Finib. Imp. Germ. L. I, c. 1. §. 12.* ab A. C. DCCCC. XXIV, quo Berengarius I. ſublatus, usque ad A. DCCCCLXII, quo Otto M. Imperator inauguratus eſt, in toto Occidente euanuit, nullo certe ſtabili perpetuoue iure cum Germanico regno coniunctum fuit. Nec enim moramur fictam illam conſtitutionem, qua iam auſpicio Ludouici IV. cum iſto coaluiſſe dicitur, aut teſtimonia a *Goldaſto in Replic. pro Imper.* C. XXXI. collecta, quibus nonnulli proximos Ludouici ſucceſſores, Conradum et Henricum Aucupem Imperatores fuiſſe, probare contendunt. Sed Otto M. demum, poſt Berengarium debellatum, anno, quo diximus, dignitatem Caeſaream et ius Imperii Romani ita ſibi pariter ac ſuis in regno Germanico ſucceſſoribus aſſeruit, ut ab illo tempore usque ad noſtram aetatem una fuerit regis Germanici et Imperatoris Romani electio. Quod innuens *Otto Friſing. Chron. L. VI, cap. 22. Exhinc*, ait, ex quo ſcilicet Otto M. ius illud armis uindicauit, *regnum Romanorum poſt Francos et Langobardos ad Teutonicos, uel, ut aliis uidetur, rurſum ad Francos* (Orientales ſcilicet) *unde quodammodo elapſum fuerat, translatum eſt.* Et *Sigonius de Regno Ital. lib. VII. Ab hoc tempore* (Ottonis M.) *qui rex Germaniae fuit, idem etiam regnum Italiae et Occidentale Imperium tenuit,*

tenuit, et propterea tres coronas accepit. Conf. omnino *Conringius de Imperio German. Cap. X.*

§. 5. Vt ergo ad inſtitutum redeam, ex hactenus diſputatis ac demonſtratis, hanc quaſi ſummam facio, 1. ante Carolum M. nullum totius Germaniae regem fuiſſe, 2. ante Ludouicum Germanicum, nullum a ſolis Germanis conſtitui, 3. ante Ottonem M. nullum ab iis, qui ſimul ſtatim ius Imperatoris Romani obtineret, eligi, atque adeo nec Electores locum habere potuiſſe. Imo ſi *Baronium* audimus, ne quidem ante Ottonem III. Principibus Germaniae facultas iſta conceſſa fuit. Hic enim ad A. 996, n. 50. ius eligendi Imperatorem, ſiue potius ſucceſſorem in Imperio deſtinandi, penes ipſum Ottonem I. ac poſteros eius fuiſſe, ſed tempore Ottonis III. demum, quia ſcilicet hic filiis, quos ſibi ſubſtitueret, carebat, ad proceres Germaniae translatum eſſe, contendit: Et certe poſterius hoc plurimi ante Baronium ſcriptores magno conſenſu affirmant. Vnde per ſe concidunt *M. Iordani* in Chron. de Imp. et Elect. Tit. Qui Principes p. 248. (ed. Cluten.) *Chronici Scabinorum Magdeburg.* citati a *Cyr. Spangenb.* in Chron. Saxon. cap. 86. et ab *Erp. Lindenbrogio* in Chron. Caroli M. f. 218. ſimilesque aliorum ſententiae, qui Collegium Electorale a Carolo M. uel antiquioribus etiam temporibus inſtitutum fingunt. Has enim cum non modo fidei hiſtoriae, ſed et conditioni ueteris reipublicae Germanicae repugnent, atque adeo cum manifeſta eius ignoratione coniunctae ſint, merito omittimus, nec dignas cenſemus, quas inter eruditorum iudicia recenſeamus. Multo minus autem de iis hic laborabimus, quae ad antiquiſſimorum magiſtratuum Germanicorum electionem pertinent, cum praeſertim ea iam ab eruditiſſimo *Conringio in Diſſ. de Septemuiris* ſatis diligenter excuſſa atque expoſita fuerint.

Digitized by Google

§. 6 Qui uero a temporibus, Ottonis I. uel III. Imperium ſecutis originem Electorum repetunt, ii, tametſi multis partibus a ſe inuicem diſſidentes, commode tamen generatim in duas claſſes diuidi poſſunt. Nam eos aut certo quodam decreto, Aurea Bulla antiquiori, conſtitutos fuiſſe exiſtimant, aut ſine expreſſa lege, ſola conſuetudine iura antea communia ſenſim ad ſe traxiſſe, contendunt. Vtrorumque igitur ſententias, habita ſimul ratione temporis, ad quod alterutrum horum referunt, exponemus, et a prioribus quidem initium capiemus.

CAP. II.

EORVM IVDICIA COMPLECTENS, QVI ELECTORES AB OTTONE III. IMP. VEL A GREGORIO V. PONT. VEL AB VTROQVE CONSTITVTOS ESSE, EXISTIMANT.

§. 1.

SI ſententiarum ueritatem numero ac multitudine auctorum eas comprobantium metiri uellemus, nulla ſane illi, quam hoc Cap. proponimus, eſſet praeferenda. Nam mirifice omnes, qui a medio inde ſeculo XIII. usque ad initium XVIti aliquid de Electoribus tradiderunt, in eam conſpirant, adeo, ut ante *Io. Stabium*, *Io. Auentinum* et *Onuphrium Panuinium* uix ullum reperias, qui conſentienti eorum auctoritati intercedere auſus fuerit. Ceterum, ut illud inter ſe commune habent, quod omnes originem Electorum a confinio ſeculi X. et XI. repetant, ita nihilominus cum de anno, quo decretum illud promulgatum eſſe, putant, tum de auctore eius inter ſe diſſident, dum alii illud Gregorio V Pontifici, alii Ottoni III, alii utrique adſcribunt. Placuit tres iſtas opiniones cognatas h. l. coniungere, quia iisdem fere argumentis et defen-

defenduntur et refutantur. Ne tamen ullo modo, diſtinguenda inter ſe confudiſſe, aut cuiquam alienam mentem affinxiſſe uideamur, ſingulorum loca ſeorſim proferemus. Prodeant ergo

I. Auctores, qui Gregorio V. inſtitutionem Electorum tribuunt.

AVGVSTINVS TRIVMPHVS Ord. Auguſtin. Eremita ſeculo XIII. clarus in Summa de Poteſt. Eccleſ. ad Ioannem XXII. Quaeſt. XXXV, Art. 2. *Gregorius V. tempore Ottonis Imperatoris, conuocatis et requiſitis Principibus Alemanniae, ſeptem Electores inſtituit, officiales ipſius curiae Imperialis: quatuor Laicos, ut Regem Bohemiae, Ducem Saxoniae, Comitem Palatinum et Marchionem Brandenburgenſem; et tres Clericos, Archiepiſcopum Moguntinenſem, Treuirenſem et Colonienſem.*

MARSILIVS PATAVINVS ſcriptor ſeculi XIV, de Transl. Imp. c. XI. apud *Goldaſtum in Monarchiae T. II. pag. 153. Poſthaec mortuo tertio Ottone ſine filio Gregorius V. natione Teutonicus de parentela Othonis in ſummum Pontificem aſſumitur. Cuius Pontificis tempore, Imperatoris Electores inſtituuntur, VII. ſcilicet Principes Alemanniae, quatuor Laici, et tres Clerici ſiue Praelati, ut Martinus ſcribit. Quia enim praedicti Ottones ſucceſſione, quaſi hereditate obtinuerunt Imperium, fuit pro bono ſtatu Eccleſiae Dei et populi Chriſtiani ordinatum utiliter, ut ad tantae poteſtatis faſtigium, quae non debetur ſanguini, ſed virtuti, non per uiam ſucceſſionis, ſed per uiam electionis procedatur. Fuit ergo inſtitutum ut VII proceres Officiales Imperii regem Romanum eligerent etc.* Poſt recenſita deinde nomina Electorum addit: *Haec autem ordinatio fuit Anno 1004. ut geſta Germanorum tradunt.*

FLAVIVS BLONDVS, qui circa An. 1440. floruit, Hiſt. Dec. II, Lib. III. p. 189. *Tunc Gregorius V, ad undecimum,*

BIBLIOTECA ... VITTOR...

mum, quo abierat, menſem reſtitutus acerrimam de accepta iniuria a Romanis ultionem ſumpſit. Paulo enim poſt quam redierat, eam fecit de Imperatoris Electione ſanctionem, quam huc usque ſupra quadringentos annos ſeruatam uidemus, ſolis licere Germanis, qui inde electores ſunt dicti, principem deligere: qui Caeſar tunc et Romanorum rex dictus, ſi a Rom. Pontifice coronabitur, Imperator Auguſtus appelletur. Suntque hi electores, Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, Archiepiſcopi: Palatinus Rheni comes, Dux Saxoniae, Marchio Brandenburgenſis, Rex Bohemiae. Quem locum iisdem uerbis exſcripſit ALB. CRANZIVS, *Saxoniae L. IV, c. 25.* niſi quod pro his uerbis: *ſupra quadringentos*, ſubſtituat: *per annos iam quingentos*, quia ſcilicet aetas eius longius, quam Blondi erat a tempore Ottonis III. remota.

B. PLATINA in Hiſtoria de Vitis Pontificum Rom. poſt Pauli II. mortem ſiue an. 1471. editis in Gregorio V. *Is cognita imperii imbecillitate, quo diutius apud Germanos ſumma poteſtas remaneret --- ſanctionem retulit, haud abnuente Othone, de Imperatore eligendo, Anno Chriſti MII, quam usque ad noſtra tempora ſeruatam uidemus: uidelicet, ſolis Germanis licere principem deligere, qui Caeſar et Romanorum rex appellatus tum demum Imperator et Auguſtus haberetur, ſi eum Romanus Pontifex confirmaſſet. Hos autem Imperatoris eligendi auctoritatem primo habuiſſe, Ptolemaeus refert, Archiepiſcopum Moguntinum Germaniae, Archiepiſcopum Treuirenſem Galliae, Archiepiſcopum Colonienſem Italiae nomine. His additi et quatuor principes Marchio Brandenburgenſis, Imperatoris poſt electionem Camerarius, Comes Palatinus qui dapes, Dux Saxoniae, qui enſem fert. Sunt, qui ſcribant, Bohemiae regem ſeptimum Electorem Imperatoris pincernam eſſe: hisque in eligendo additum eſſe, ad tollendam diſcordiam partium.*

Huius

Huius uerba, paucis admodum mutatis uel adie-ctis, ſub finem ſeculi XV, repetit IACOBVS VVIMPHELINGVS, in Epitome Imperatorum ac rerum in Germ. geſtarum Cap. XX.

POLYDORVS VIRGILIVS in Opuſc. de Rerum Inuentoribus eodem tempore primum edito L. I, c. 10. *Ioannes XII. Othonem Germaniae regem Imperatorem creauit. Et poſtremo Gregorius quintus, ut ſuam gentem, (fuit enim homo Germanus) ſingulari quopiam beneficio afficeret, auctoritatem in poſterum tempus eligendi Imperatoris fecit Archiepiſcopis Moguntino, Treuirenſi et Colonienſi, item Marchioni Brandenburgenſi, Comiti Palatino, Duci Saxoniae et regi Bohemiae, ut, qui ab eis renunciatus eſſet, Caeſar et Romanorum rex diceretur, ac deinde Imperator ſtatim ut electionem huiusmodi Rom. Pontifex comprobaſſet. Fuit is annus humanae ſalutis M II. Atque ſic Germani Principes ius illud acquiſiuerunt, quod etiamnum habent, retinent, conſeruant.*

M. ANTON. SABELLICVS Ennead. IX. L. 2. f. 216. edit. Aſcenſ. (1517.) ſolus fere inter horum temporum auctores cum dubitatione quadam, nec niſi ex aliorum opinione ſcribit: *Gregorius undecimo menſe, quam inde exciderat, ſacram recepit ſedem. Ceterum iniuriae acceptae nihil immemor, ut Ramanos et clerum uniuerſum ulciſceretur, ſanctionem tulit de Imperatore eligendo, ut ſolis Germanis liceret principem eligere, qui Caeſar et Romanorum rex diceretur: tenuit mos iam annos propemodum quingentos, cum id decretum in eum ſalutis annum incidiſſet, qui milleſimus ſecundus fuit ab ſacratiſſimo Chriſti ortu. Verum fuerintne tum primum creati, qui Imperatorem legerent, an poſtea res inducta ſit, parum compertum habeo. A Blondo diſerte ponuntur tres numero Antiſtites: Moguntinus, Treuirenſis et Agrippinenſis, et cum his Brandenburgenſis Marchio,*

B 3 co-

comes Palatinus, Dux Saxoniae et Rex Bohemiae, qui partiti inter ſe ſunt munia circa Caeſarem obeunda ----- Otho poſt ſanctionem illam a Gregorio latam in Germaniam conceſſit. Tulerunt eam rem Galli iniquo animo etc.

ANTONIVS BONFINIVS Rerum Vngar. Dec. I. L. 10. fin. *Gregorius V. Pontifex Maximus undecimo exilii menſe reſtitutus, iniurias a populo Romano ſuſceptas ulciſcitur. Paulo poſt Germanorum ope in dignitatem Pontificiam reuocatus, cum ipſe quoque Germanus eſſet ----- ut nationi ſuae blandiretur, eam de Imperatorum electione ſanctionem promulgauit, quae per annos ultra quadringentos diligentiſſime ſeruata eſt: ſolis licere Germanis, quibus eligendi poteſtas data eſt, principem creare, qui ſtatim Caeſar et Romanorum rex dicitur, et cum a Rom. Pontifice maximo corona donatus approbatur, Imperator Auguſtus appellatur. Ex Metropolitanis Electores hi ſunt: Moguntinus, Treuirenſis et Colonienſis: e principibus tres: Brandenburgenſis, Palatinus et Saxonienſis, e regibus unus tantum Bohemiae rex. Sanctio facta ſalutis anno ſecundo ſupra milleſimum.*

II. Auctores Ottoni III. inſtitutionem Electorum tribuentes.

LVPOLDVS BABENBERGIVS, ſcriptor ſeculi XIII. Cap. 3. de iuribus regni et imperii. *Tempore Othonis III, qui filiis caruit, fuit inſtitutum, ut per certos principes Germaniae, ſcilicet per officiatos Imperii, ſeu curiae Imperialis, Imperator eligeretur.*

HVLDERICVS MVTIVS in Chronico Germanorum in *Piſtorii* Tomo II. Scriptorum Germ. p. 107. *Huius Ottonis tempore Electores principes ſunt inſtituti. Otho enim III. non habens heredem, filium decreuit in frequentibus comitiis principum, ut in poſterum perpetuo Francofurti eligatur Imperator. Conſtitutis tribus Electoribus Archiepiſcopis, Mogun-*

Moguntinenſi, Colonienſi, Treuirenſi, his addidit quatuor alios principes ſeculares, quos uocant, nempe regem Bohemiae, qui et Archipincerna imperii debeat eſſe, Marchionem Brandenburgenſem, quem uoluit eſſe Camerarium, Ducem Saxoniae, qui eſſet Mariſcalcus, et Palatinum comitem Rheni, qui Dapifer eſſet. Hos electores ſeptem conſtituit, penes quos eſſet omne ius et poteſtas eligendi Caeſarem. Huic Othonis conſtitutioni Gregorius Pontifex addidit aliam, uolens patriae dignitati conſulere. Sanciuit enim, ut ſoli Germani eligant, et non alium eligant, quam Germanis parentibus natum.

Georgivs Sabinvs de Caeſaribus Germ. in Ottone III. apud *Freherum* Tom. III. Script. German. ſub init.

Vt penes immenſi nos tota potentia mundi
Semper et imperii gloria ſumma foret,
Regia conſtituit quibus eſt electio curae,
Praecipua ſeptem nobilitate uiros.

Georgivs Fabricivs Rerum Memorab.-Saxon. Vol. I, L. I. p. 143. de Ottone III. *Salutare et prudens conſilium inuenit de conſtituendis uiris grauibus et ſapientibus, in quorum eſſet poteſtate regem uel Imperatorem ſummo in terris honore dignum eligere. Nam cum perſpiceret, Italos Imperium propter antiquam maiorum gloriam affectaturos eſſe, et Gallos propter recentes Caroli M. res geſtas eidem inhiaturos, uiros 6, adhibitis in conſilium Gregorio V. agnato ſuo, conſtituit, penes quos creandis Imperatoribus in poſterum ſumma eſſet poteſtas et auctoritas. Tres autem ex ordine Eccleſiaſtico nominat Imperii Cancellarios, Moguntinum Germaniae, Colonienſem Italiae et Treuirenſem Galliae ex principibus et ordine politico totidem Imperatoris quaſi ſtipatores et miniſtros, Palatinum Rheni menſae praefectum, Saxonem ſtabulo, Brandenburgicum cubiculo, quibus deinde acceſſit Bohemus, re-*

gia

gia dignitate ornatus, Cellae praefectus, ſ. Pincerna. Confer. *Vol. II, de rebus Miſn. p. 7. et Orig. Sax. L. II. p. 231.*

III. Auctores Ottoni III. et Gregorio V. ſimul inſtitutionem Electorum tribuentes.

Wernervs Rolewink in Faſciculo Temporum aetate VI. ad ann. 994. (apud *Piſtorium* T. II. Script. Germ. p. 70.) *Et nota, quod iſte Gregorius cum Othone praedicto ordinauit Electores Imperii in Alemannia, qui deinceps permanſerunt usque nunc, nec potuerunt Franci aut alii infringere.*

Io. Cvspinianvs de Caeſaribus in Ottone III. circa med. *Gregorius, ut Caeſari Germaniſque gratificaretur, et acerrimam de accepta a Romanis iniuria uindictam reciperet, ſeque ulciſceretur, nouam fecit una cum Caeſare Ottone de eligendo a Germanis proceribus rege ſanctionem, formulamque ac legem creandi Imperatoris, ut haec electio perpetuo Germanis maneret, et unde ſuo corpore Caeſarem deſignarent. Quae ad hoc usque noſtrum aeuum permanet. Nominarunt autem Caeſar et Pontifex tres Germaniae Antiſtites, Eccleſiaſticos principes, quos Imperii Archicancellarios eſſe uoluerunt, Moguntinum ſcilicet ut rebus Germaniae, Colonienſem, ut Italiae, ac Treuirenſem, ut Galliae praeeſſet. His quatuor additi ſunt ſeculares principes, qui ſua quoque munia Caeſari exhibent ----- Hanc formulam poſtea Imperator Carolus IV. in Bullam Auream, quae hodie extat, redegit, ac ſingula ſignificantius expreſſit. Fertur haec ordinatio incidiſſe in annum noſtrae redemptionis MCI.*

Ioannes Navclervs Chronologiae Vol. II. Generat. 34, *Anno ſalutis ſecundo ſupra milleſimum, Othone III. mortuo, Germani Electores conceſſo iuri per ſanctionem Gregorii V. et Othonis III. primum innitentes, Henricum*

tum Ducem Bauariae, Comitem Bambergenſem, Claudium poſtea dictum, Caeſarem declarant.

ALBERTVS CRANZIVS, qui in *Saxon. L. V, c. 25.* alienis potius, quam ſuis uerbis inſtitutionem Electorum ſoli Gregorio V. tribuere uidetur, paulo aliter in *Metrop. L. III, c. 40.* ſcribit: *Ita periit ſine prole* (Otto III.) *praeualuitque electio, quam idem Imperator cum Gregorio V. propinquo ſuo fecit, quaeque durat in hodiernum, ut non legitima ſucceſſione quaeratur Imperator, (quomodo a memoria Magni Caroli uidebatur inolitum) ſed electione ſeptem primitiuorum Principum aſſumatur.*

MARTINVS CROMERVS Polon. L. III. p. 36. *Otto Romam rurſus ad ſedandos nouos motus contendit: iisque compoſitis, ſequenti anno (1002.) cum Gregorio V. Pontifice Max. propinquo ſuo, cui Bruno prius nomen fuerat, conſtituit, ut penes certos Germaniae principes ſemper deinceps libera electio Romanorum regis ſiue Caeſaris eſſet: nimirum tres Archiepiſcopos, Moguntinenſem, Colonienſem et Treuirenſem: Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniae et Marchionem Brandeburgenſem. Quibus poſtea rex Bohemiae, tanquam ſeptimus a Rudolpho Imperatore adiunctus eſt, qui paribus illorum ſuffragiis controuerſiam dirimeret.*

CENTVRIATORES MAGDEBVRG: huiusmodi ſcriptorum auctoritatem ſecuti Cent. X, cap. 10. col. 297. *Gregorius undecimo exilii menſe priſtinae dignitati per Imperatorem reſtitutus ſuam patriam inſigni aliqua dignitate ornaturus, ſanxit: ut penes ſolos Germanos eligendi Regem eſſet ius ac poteſtas, qui poſt diadema a Rom. Pontifice acceptum, Imperator et Auguſtus appellaretur. Suntque Electores conſtituti, Moguntinus, Treuirenſis et Colonienſis Archiepiſcopi, Marchio Brandeburgenſis, Comes Palatinus Rheni, Saxoniae dux et rex Bohemiae: qui paribus ſuffragiis Electorum exiſtentibus, litem inter eos dirimat. Hanc conſtitutionem Imperator et probauit et ſua auctoritate ratam haberi uoluit.*

§. 2. Ac iſti quidem auctores, cum de re certa et extra controuerſiam poſita ſibi ſcribere uideantur, ſatis habent ſententiam ſuam dixiſſe, de rationibus, quibus eam confirment, uel aduerſariorum obiectiones diluant, parum ſolliciti. Poſtquam uero illam ſeculo XVI. non modo IOANNES STABIVS, Maximiliani I. Hiſtoricus, (cuius iudicium probat *Iac. Spigelius in Annot. ad Guntheri Ligurinum L. I.*) AVENTINVS *in Annal. Boi. L. V, p. 505.* aliique in ueterum ſcriptorum monumentis diligentius uerſati, ut Italorum commentum, explodere coeperunt, ſed et ONVPHRIVS PANVINIVS Frater Eremita Auguſtinianus ſingulari libro *de Comitiis Imperatoriis An. 1558. ed.* ex inſtituto confutauit, non defuerunt, qui tot antiquiores ſcriptores inter ſe conſentientes erroris accuſari, inique ferrent, et ſtudioſe omnia, quae ad illos defendendos pertinere uiderentur, conquirerent. Et Pontifici quidem Gregorio V. ſuam hac in re auctoritatem prae ceteris aſſerere ſtuduit ROB. BELLARMINVS *in libro III. de Translatione Imperii*, de quo tamen obſeruatu dignum eſt, eum lectis poſtea et expenſis, quae Baronius in contrariam partem diſputat, ſententiam mutaſſe, idque publice *in Recognitione huius libri* profeſſum eſſe. Nihilominus eum uel inuitum ſecuti ſunt, et cauſae iam derelictae patrocinium nec opinato ſuſceperunt CHRISTOPHORVS GEWOLDVS *in commentario de S. R. Imperii Septemuiratu cap. 16.* IO. PAVL. WINDEKIVS *de Electoribus Imperii c. 12. ſeqq.* IO. GEORG. KIEFFER *in Diſſ. de Electorum Origine et poteſtate qu. 14.* MICH. LONIGVS *in Conſilio ad Gregorium XV. de adhortando Bauariae duce ad petendam Electoralis dignitatis confirmationem a Pontifice etc.* Inter eos autem, qui Ottoni III. huius inſtitutionis gloriam uindicant, eminent MATTH. FLACIVS ILLYRICVS *de Translat. Imperii C. 5.* et SIM. SCHARDIVS *in libro de Principum, quibus electio Imperatoris in*

Germa-

Germania commendata eſt, origine ſiue Inſtitutione. Quibus, etſi ſubtimide accedunt, PETRVS HEIGIVS *in Quaeſtion. Iuris P. I. Qu. 3. n. 80. et* ERICVS MAVRITIVS *in Diſſ. de Origine Elect.* Nam ille Regem Bohemiae excipiendum putat §. 41, hic totam hanc ſententiam, ſaltem ut probabilem defendit, §. 11.

§. 3. Antequam igitur Panuinii et aliorum argumenta contraria ac negatiua perpendamus, operae fortaſſe pretium fuerit, quibus rationibus *Flacius*, *Schardius* et *Bellarminus* eum aſſeclis ſuis communem ueterum ſententiam propugnent, conſiderare. Nituntur I.) ipſo tam conſtanti tot eruditorum uirorum in ea conſenſu, et aduerſarios eam deſerentes propterea nouitatis ac temeritatis accuſant. II.) Addunt teſtimonia aliorum ſcriptorum antiquiorum, qui tametſi non diſerte Gregorii V. uel Ottonis III. mentionem faciant, ita tamen comparata ſint, ut ſanctionem huiusmodi ab iis factam eſſe, demonſtrent. Huc ipſis referuntur a) INNOCENTIVS Pont. Rom. ſub initium ſec. XIII. in epiſtola decretali ad Bertholdum ducem Zaringiae, quae incipit: Venerabilem, ita ſcribens: *Verum illis principibus ius et poteſtatem eligendi regem in Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus, ut debemus, ad quos de iure et antiqua conſuetudine noſcitur pertinere; praeſertim cum ad eos ius et poteſtas huiusmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit, quae Romanum Imperium in perſonam Magnifici Caroli a Graecis transtulit in Germanos.* Hinc enim conſtare putant, inſtitutionem Electorum non modo ſedi Romanae deberi, ſed et ſub finem ſeculi XII. ac initium XIIItii iam antiquam fuiſſe, adeoque Ottonis III. et Gregorii V. temporibus reſpondere. b) HENRICVS CARDINALIS HOSTIENSIS, qui citata Innocentii uerba non multo poſt mortem eius explicans diſerte VII. Principes numerat et nominatim exprimit, ad quos electio Imperatoris antiquo iure pertineat.

tineat. Verba eius haec ſunt: *Illis, ſcilicet Moguntino, Colonienſi, Treuirenſi, Archiepiſcopis, Comiti Rheni, Duci Saxoniae, Marchioni Brandenburgico, et ſeptimus eſt Dux Bohemiae, qui modo eſt Rex. Sed iſte ſecundum quosdam non eſt neceſſarius, niſi quando alii diſcordant: nec iſtud ius habet ex antiquo, ſed de facto hodie tenet*: quae repetuntur in *Alberici de Roſate* Dictionario V. Electores Imperii. c) MARTINVS POLONVS, cuius in Chronico Martiniano poſt A. 1270. atque adeo poſt Frid. II. tempora edito, in Ottone III. uerba haec ſunt: *Et licet iſti tres Ottones per ſucceſſionem generis regnauerunt: tamen poſtea fuit inſtitutum, ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem: uidelicet primo tres cancellarii iſti, Moguntinenſis Germaniae, Treuirenſis Galliae, Colonienſis Italiae: Marchio Brandenburgicus Camerarius eſt, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniae enſem portat, Rex Bohemiae pincernam agit. Vnde uerſus:*

Moguntinenſis, Treuirenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperii ſit Cancellarius horum:
Et Palatinus Dapifer; Dux portitor enſis:
Marchio praepoſitus Camerae; Pincerna Bohemus:
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

d) THOMAS AQVINAS, An. 1274. defunctus, in cuius libro III. de Regimine Principum cap. 19. iſta leguntur: *Otho imperium tenuit usque ad tertiam generationem, quorum quilibet uocatus eſt Otho. Et ex tunc (ut hiſtoriae tradunt) per Gregorium V. prouiſa eſt electio, ut uid. per ſeptem Alemanniae Principes fiat, quae usque ad iſta tempora perſeuerat, quod eſt ſpatium ducentorum ſeptuaginta annorum, uel circa.* e) CONCILII VIENNENSIS A. 1311. celebrati, decretum in Clementina: *Romani Principes*, de iureiurando, cuius uerba ſunt: *Eccleſia Romana a Graecis Imperium tranſtulit in Germanos, et ab eadem ad certos eorum Principes ius et poteſtas eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum peruenit.* Additur denique f) INSTRVMEN-

TVM

TVM ELECTORVM IMPERII A. 1279. ad Nicolaum III. Pont. miſſum, ex autographo a *Bellarmino* in Lib. III. de Translatione Rom. Imperii cap. 3. et a *Baronio* in Ann. ad A. 996. n. 45. relatum, in quo *Romana Eccleſia Principes, tanquam arbores praeelectas, in Germania plantaſſe, et illud mirandae potentiae incrementum iis dediſſe*, fertur, *ut ipſius Eccleſiae auctoritate ſuffulti, uelut germen electum, per ſuam electionem, illum, qui fraena Romani teneret Imperii, germinarent.*

III. Firmiſſimum denique argumentum ipſa Pontificis uel Imperatoris uerba iis ſuppeditare uidentur, quae ex eorum decretis proferunt. Nam, ſi *Petro Bizaro* Hiſt. Genuenſ. Lib. XXIII, p. 554. fides eſt, *Gregorius V. ſanctionem tulit, in haec uerba:*

Imperatorum nullus hereditariam dignitatem uindicato.
Principes ſex, ſacri ordinis tres, profani totidem eum deligunto.
Hi ſi diſcordes fuerint, Bohemiae regem cooptanto.

Eandem hanc ſanctionem, additis etiam ſex reliquorum Electorum nominibus, tanquam fragmentum des Reichs-Tags unter Käyſer Otto den III. gehalten von Satzung und Ordnung der Churfürſten des Röm. Reichs / und anderer Stände / repetit *Goldaſtus* in Reichs-Handlungen p. 16, et in Conſtitut. Imper. T. III. pag. 371, ubi tamen Ottoni IV. potius eam adſcribendam putat. Additur etiam priuilegium Ottonis, Iuri Weichbildico Magdeburgenſi praemiſſum, in quo haec Electorum Secularium et Eccleſiaſticorum mentio iniicitur: Und geben derſelben Stadt (Magdeburg) und ihren Einwohnern das heilige Recht und Gerichte / und den Röm. Käyſer mit des Reichs Churfürſten beyde Geiſtlich und Weltlich zu einen Vormündern / der Stadt vorzuſtehen ꝛc.

§. 3. At enimuero ſingula haec argumenta confutantur a BARONIO ad An. 996. BERN. MALLINKROT. de Archicancell. Imp. L. II. c. 3. CHRISTOPH.

Lehmann. in Chron. Spir. Lib. V, c. 17. Limnaeo I. P. T. I. L. 3, c. 1. Freinsheimio de Electorum et Cardin. Praeced. Diatr. II, §. 23, 24. ſeqq. Arnisaeo de Republ. L. II. c. 6. Mich. Beuthero in Animaduerſ. hiſtoricis cap. 13. Iac. Lampadio de Republ. Germ. P. III. cap. IV. Conringio in Exercit. de VIIuiris §. 28. ſeqq. ut alios taceam: quorum praecipuas rationes hic uelut in compendium misſas repetere iuuat. Ad *primum* argumentum reſpondetur, multitudinem errantium nullum errori patrocinium parere, cum praeſertim ipſi huius ſententiae auctores ſibi non ſatis conſtent, et alii Electorum conſtitutionem Gregorio V, alii Ottoni III. tribuant, alii eam A. 994. alii 997. alii 999. alii 1002, alii 1004. alii alio tempore factam eſſe affirment. Quod ad *alterum* attinet, nullus ex locis allatis ſeculo XIII. antiquior eſt, nedum ad Ottonis III. qui An. 1002. deceſſit, tempora pertingit, ut adeo potius pro iudiciis in propria cauſa pronunciatis, quam pro idoneis teſtimoniis agnoſci poſſint, quin etiam multi ſine ratione huc trahuntur. Speciatim I.) epiſtolam Innocentii de Electoribus a Gregorio V. uel Ottone III. conſtitutis intelligi non poſſe, perſpicuum eſt. Loquitur enim de *iure et poteſtate*, quae *ab Apoſtolica ſede ad eos* (principes Germaniae) *peruenerit*, dum *Rom. Imperium in perſonam Magnifici Caroli a Graecis transtulit in Germanos.* Similiter 2.) Henricus Cardinalis nec Electores a Gregorio V. uel Ottone III. conſtitutos eſſe dicit, et, ſi diceret, domeſticis illis teſtibus eſſet annumerandus, quos idem inde a ſeculo XIII. affirmaſſe potius, quam probaſſe, deprehendimus. Error uero eius, quo Innocentii uerba de VII. Electoribus accipit, ſatis euidenter ex ipſo Pontificum tabulario confutatus eſt a *Baronio* A. 996. n. 61. 3.) Martinus Polonus non Ottonis III. temporibus, ſed diſerte *poſtea* ius eligendi ad VII. Officiales delatum fuiſſe, ſcribit, Confer. *Baron.* An. 996 n. 67,

Lehman-

Lehmannus Chronic. Spir. L. V, c. 17. *Conring*. Exercitat. de Official. §. 25. 4.) Liber de Regimine Principum, Thomae Aquinati uulgo adſcriptus, in quo Adolphi et Alberti Imperatorum, aetate eius poſteriorum mentio fit, omnium hodie conſenſu, inter ſuppoſitos numeratur. 5.) Concilii Viennenſis teſtimonium quadringentis poſt mortem Gregorii V. annis ab hominibus ſtudio ſedis Romanae et antiquitatis, pro indole rudis illius ſeculi ignaris perhibitum nullius in hac cauſa ponderis uel momenti eſt, ut taceam, Henricum VII. Imperatorem ſanctionem eius irritam declaraſſe. Leg. *Thom. Lanſ.* Conſult. contra Italos pag. m. 966. 6.) In allatis literis Electorum Imperii Bellarminus callide ſubſcriptionem omiſit, quam a tribus tantum factam eſſe, obſeruat *Goldaſtus*, et ex eo *Arniſaeus* L. II. de Rep. c. VI. ſect. 5. Horum uero adulatio ut pro conſtanti totius Collegii conſenſu uenditari non poteſt, ita Electorum originem a ſede Pontificia repetendam eſſe, non probat. Quae autem *tertio* tandem loco ex Pontificum uel Imperatorum decretis proferuntur, non uno nomine ſuſpecta ſunt. Si enim unquam Gregorius V. tale quippiam conceptis uerbis de re tanti momenti conſtituiſſet, id neque per tot ſecula antiquiora celari, nec inter cetera decreta omitti potuiſſet. Vnde Goldaſtus uerba ſupra recitata modo Ottoni IV. tribuit, modo prorſus ut conficta et ſuppoſita explodit. Nec aliter iudicandum eſt de priuilegio Iuri Weichbildico praemiſſo. Nam cum 1.) hoc ipſum longe poſt Ottonum tempora conditum ſit, ut *Conring*. de Orig. Iuris Germ. c. XVIII. demonſtrat, priuilegium ſane, quo illud confirmatur, Ottonis III. eſſe non poteſt. 2. Priuilegium illud promulgatum eſſe dicitur A. C. 999. Imperii 2. (gegeben nach Chriſti Geburt neun hundert und neun und neunzig Jahr / in dem andern Jahr unſers Reichs) cum tamen Otto III. iam

A. 983.

A. 983. Imperium ſuſceperit. 3. Martinus Pontifex ab auctore diplomatis in conſilium adhibitus eſſe dicitur: Und ſind zu Rath worden mit wiſſen des heiligen Vaters des Bapſts Martini, der von ſeiner Bäpſtlichen Gewalt ſein Fried dazu gegeben hat. At ille iam An. 946, h. e. ante natum Ottonem III. uiuere deſierat. Quae omnia ſane, ut plura non addam, manifeſto produnt, priuilegium hoc non minus ac illud Ottonis II. quod ex Gloſſa Weichb. Art. X, n. 6. de Electoribus et ſpeciatim Palatino, citari ſolet, ab inepto quodam et omnis antiquitatis experte impoſtore fuiſſe ſubiectum.

§. 5. Contra Panuinius et quos poſt eum, communem hanc ſententiam oppugnaſſe, oſtendimus, argumenta, ipſorum aduerſariorum iudicio, *grauia et nullo modo a uiris prudentibus contemnenda* * aduerſus eam afferunt, quando urgent, quod I.) non modo nullum germanum Ottonis III. uel Gregorii V. de Electorum conſtitutione decretum extet, ſed et omnes ſcriptores, qui proximis CCL. annis poſt Ottonis III. tempora floruerunt, nominatim *Regino*, *Luitprandus*, *Marianus Scotus*, *Lambertus Schafnaburgenſis*, *Sigebertus Gemblacenſis*, *Otto Friſingenſis*, *Abbas Vrsbergenſis* et alii ne uerbo quidem eius mentionem inunciant, cum tamen omnes alioquin horum temporum res geſtas accuratiſſime perſequantur, et ea praecipue, quae ad Imperatorum hiſtoriam pertinent, tam ſollicite recenſeant, ut nec loca, ubi ſingulis noctibus diuerſati fuerint, aut ubi Paſcha, Pentecoſten, ſacrum Natale et Quadrageſimam ſingulis annis celebrarint, ſibi praetermittenda putarint. Nam primus omnium, quod Baronius ad A. 996, n. 66. inculcat, Electores nominauit *Martinus Polonus*, cuius Chronicon poſt A. 1271, in quo primum deſinebat, editum fuiſſe, receſſe

* Verba hæc ſunt *Bellarmini de Transl. Imp. L. 3. c. 2.* quibus gemina eſt confeſſio Sim. Schardii l. c. cap. 9. *quo magis ea de re cogitaui, tanto inextricabilior eſt facta, ita, ut ſaepius in Panuinii ſententiam concedendum, et haſta abiecta ex arena ſecedendum arbitrarer.*

neceſſe eſt. Et quod ſpeciatim ad Gregorium attinet, res in eius Pontificatu geſtae breuiter et ſuccincte enarrantur in monumento ſepulchrali a *Panuinio* in lib. de comitiis Imp. p. m. 380. et in Annotat. ad Platinae uitam Gregorii V. p. 162. recitato, ſed conſtitutio Electorum, quae uel primo loco memoranda fuiſſet, prorſus omittitur. Iam uero argumentum hoc a ſilentio autorum petitum non omnino nullum pondus habere, imo omnes res extra ordinem geſtas, quarum nulla mentio eſt apud ſcriptores illi aetati, cui tribuuntur, aequales uel ſuppares, inter commenta numerandas eſſe, praeter ceteros *Io. Lanouius* Conſtantienſis, ſingulari lib. de Autoritate Negantis argumenti ex inſtituto et pereleganter demonſtrauit.

Obiiciunt II.) quod electiones omnium Imperatorum ab Ottone III. usque ad fatale illud Germaniae interregnum apud antiquos et fide dignos auctores ita deſcribantur, ut, ius eligendi non penes ſolos VIIuiros, ſed alios quoque, imo omnes Germaniae Principes fuiſſe, facile appareat. Operae pretium et inſtituto noſtro accommodatum eſt, teſtimoniorum, quae de Comitiis illis Imperialibus poſt Onuphrium Panuinium a quam plurimis aliis collecta ſunt, hoc loco uelut nucleum et compendium quoddam exhibere.

De Henrico II. Sancto, proximo Ottonis III ſucceſſore *Otto Friſingenſis* in Chron. L. VI. c. 27. *Anno*, inquit, *ab incarnatione Domini MI, mortuo ſine herede Othone III, Henricus patre Hezilone, natione Noricus, eiusdemque gentis Dux*, ab omnibus regni primoribus electus *LXXXVII. ab Auguſto rex creatur.*

De Conrado Salico idem l. c. c. 28. *Anno ab incarnatione Domini M XXV, defuncto ſine filiis Henrico, Conradus, natione Francus, conſilio anteceſſoris ſui, cuius tamen, dum adhuc uiueret, gratia carebat*, ab omnibus electus *LXXXVIII.*

 ab

ab Auguſto regnum ſortitur. Abbas Vrſpergenſis in Chron. ad a. M XXV. praecipuas in hac electione partes Praeſuli Moguntino et Bambergenſi his uerbis tribuit: *Principibus pro eius electione diſſidentibus, Aribone autem Moguntino Archiepiſcopo et* Eberhardo Bambergenſi Praeſule ſibi fauentibus, *LXXXV. ab Auguſto regnum ſuſcepit.* Nemo autem fuſius comitia huius electionis cauſa celebrata deſcribit, quam *VVippo* in uita Conradi c. de elect. Regis f. 424. Cum enim, *inter Moguntiae et Vormatiae confinia cunctos Optimates confluxiſſe*, oſtendiſſet, poſt multas diſſenſiones tandem *inter eos conueniſſe*, addit, ut ex duobus Cunonibus ſiue Conradis, ille, *quem maior pars populi laudaret*, Imperium obtineret. *Tum*, pergit p. 426. *Archiep. Moguntinus, cuius ſententia ante alios accipienda fuit, rogatus a populo, quid ſibi uideretur, laudauit et elegit maioris aetatis Chunonem. Hanc ſententiam ceteri Archiep. et reliqui ſacrorum ordinum uiri indubitanter ſequebantur. Iunior Chuno paululum cum Lotharingis placitans, ſtatim reuerſus, maximo fauore illum ad Dominum et Regem elegit. Fit clamor populi, omnes unanimiter in regis electione principibus conſentiebant, in illo perſiſtebant, ipſum cunctis dominantibus nihil haeſitando praepoſuerunt.* Ipſum uero Conradum regem deſignatum p. 425. ita loquentem inducit: *Vota, ſtudia conſenſus Francorum, Lotharingorum, Saxonum, Noricorum, Alemannorum, qui optimam uoluntatem habebant, hanc dignitatem ad eos conferebant.*

De Henrico III. idem l. c. *Imperator Conradus filium ſuum Henricum, anno aetatis XI,* principibus regni cum tota multitudine populi id probantibus, *in regalem apicem ſubliminari fecit.*

De Rudolpho, duce Sueuorum, Henrici IV aemulo *Abbas Vrſpergenſis* ad An. 1077. *Rudolphus indigena Sueuiae mediantibus Sigefrido Metropolitano, et* Adelberone Wirci-

Wirciburgenſi epiſcopo, Bertholdo quoque Duce Carinthiae ac praedicto Ottone *aliisque nonnullis Principibus, in praeſentia quorundam Romanae ſedis legatorum, non uoluntarie annuentium, apud Forcheim in regem eleuatur. A quibus etiam deductus Moguntiam, in media quadrageſima XII Kal. Aprilis, a Sigefrido Epiſcopo in regem ungitur.* Conf. Gregorii VII epiſt. 3. Lib. IV.

De Henrico V idem ad An. M C VI. *Mediante Henrico iuniore, tantus apud Moguntiam factus eſt in natali Dominico totius regni Teutonici conuentus, quantus per multa annorum curricula nunquam eſt uiſus. Referunt enim, qui aderant, LII ibi tunc optimates uel eo amplius affuiſſe; adeo ut ſolus Dux Saxoniae Magnus nomine, quem grauior aetas impediebat, notaretur defuiſſe.* Et, quibusdam de Imperii ab Henrico IV. ad filium translatione interiectis, *Hoc ordine*, pergit, *Henricus illius nominis rex V primum a patre, deinde ab* uniuerſis Germaniae Principibus *in regem iam ſecundo* electus, *ab Apoſtolicis quoque legatis confirmatus, acceptis tam ab epiſcopis, quam laicis iuxta morem patriae ſacramentis, regnare coepit etc.*

De Lothario II *Otto Friſing:* de Geſtis Frid. c. I, c. 16. *Igitur Albertus (nam id iuris, dum regnum uacat, Moguntini Archiepiſcopi ab antiquioribus eſſe traditur) Principes regni in ipſa ciuitate Moguntina, tempore autumnali prouocat, malorumque a duce Friderico ſibi illatorum haud immemor, cum praedictus dux ad regnum a multis expoſceretur, ipſe Lotharium ducem Saxonum in regem* a cunctis, qui aderant, principibus eligi *perſuaſit.* Et *Robertus Abbas Montis*, in Sigeberti Contin. ad A. 1125 *Mortuo Imperatore Henrico et Spirae ſepulto, proximo menſe Auguſto, legati Apoſtolicae ſedis et Archiepiſcopi cum epiſcopis et optimatibus Imperii ex condicto conuenientes Moguntiae conſultant ſibi et toti Romanorum Imperio de*

Digitized by Google

ſubſtituendo rege. Lotharius dux Saxonum, omnium aſſenſu eligitur.

De Conrado III Sueuo *Otto Friſing.* L.I. de Geſtis Frid. c. 22. *Defuncto Hlothario, - - - - principes regni apud Galliae oppidum Confluentiam conueniunt, et de eligendo Principe conſilium ineunt. Igitur Conradus Friderici ducis frater ab* omnibus, qui aderant, expoſcitur: ad regnumqne leuatus in palatio Aquis coronatur. Confer. Chron. eius Lib. VII, cap. 22. et *Abbas Vrſp.* ad a. 1138. et 1139.

De Friderico I Ænobarbo idem epiſcopus Friſingenſis, qui ipſe comitiis illis interfuit, Lib. II. de Geſtis eius C. I. *Decedente Cunrado, in oppido Franconefurt de tam immenſa Transalpini regni latitudine, uniuerſum mirum dictu, Principum robur, non ſine quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in unum corpus adunari potuit. Vbi cum de eligendo Principe primates conſultarent, (nam id iuris Romani Imperii apex, uidelicet non per ſanguinis generationem deſcendere, ſed per Principum electionem reges creare, ſibi tanquam ex ſingulari uindicat praerogatiua) tandem ab omnibus Fridericus Sueuorum Dux, Friderici Ducis filius, petitur, cunctorumque fauore in regem ſublimatur.* Breuius, Chronicon Auguſtanum: *Fridericus I poſt Cunradum III patruum ſuum apud Franckenfurt*, communi uoto et conſenſu omnium principum eſt electus *ad Imperium An. M C LII.* Conf. *Lebm.* Chron. Spir. L.V, c. 17.

De Henrico VI *Abbas Vrſp.* ad A. 1191. (p. 317.) *Hic itaque Henricus XCII loco ab Auguſto regnum accepit: prius tamen a patre rex deſignatus fuerat*, et de conſenſu Principum coronam *Aquisgrani acceperat.*

De

De Philippo et Ottone IV, qui ſub finem ſeculi XII et initium XIII de principatu inter ſe contendebant, inprimis clara ſunt idoneorum ſcriptorum teſtimonia, quae illos non a ſolis Officialibus, quibus hodie ius eligendi proprium eſt, ſed ab aliis quoque Principibus electos fuiſſe, demonſtrant. Prioris electionem *Abbas Vrſp.* ad A. 1198. his uerbis deſcribit: (p. 319.) *Ideoque praefatus Philippus ad partes Rheni ſe contulit, et natalem Domini in caſtro Hagenou celebrauit. Vbi uenerunt ad eum et officiales et miniſteriales, et quidam de Principibus et Baronibus terrae, cum quibus habuit myſterium conſilii ſui. Vbi etiam aderat Cunradus* Argentinenſis Epiſcopus, *qui etiam promiſit fauorem et auxilium ſuum duci de obtinendo imperio.* Et poſt alia interiecta, p. 320. *De Saxonia quidem habuit* (ſibi fauentes) *ducem Bernbardum, Marchionem Moeſiae, et alios Principes ſeculares potentiſſimos, inſuper Archiepiſcopos Magdeburgenſem et Bremenſem et ſuffraganeos eorundem - - - Videns autem Philippus, quod a tali inſolentia nollent ceſſare Alemanni, ipſe cum Principibus ſibi fauentibus conuentum adunauit in oppido Milbuſen, ubi a* Sueuis et Saxonibus et Bauaris et Boemis et Principibus quampluribus Rheni eligitur in regem. Cui conſentiens *Arnoldus Lubec.* Chron. Slau. L. VI, c. 2. *Coadunata*, inquit, *multitudine Prælatorum et Principum de* Franconia, Saxonia, Sueuia, Bauaria, Turingia, *apud Moguntiam*, conſenſu et fauore omnium in regem eſt electus. Pleniſſime uero et accuratiſſime illos, qui Philippum elegerunt, cognoſcas ex ipſorum *epiſtola ad Innocentium* III ſcripta, et ex tabulario ſedis Rom. in caſtro S. Angeli, edita a Baronio ad A. 996. n. 60. quae ita incipit: *Reuerendo in Chriſto patri Domino Innocentio S. Romanae Eccleſiae Pontifici Germaniarum Principes et Magnates in Chriſto filii*, Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Treuirenſis Archiepiſcopus, Biſuntinae ſedis Archiepiſcopus, Ra-

tiſbonenſis Epiſcopus, Friſingenſis epiſcopus, Auguſtanus Epiſcopus, Conſtantienſis Epiſcopus, Ciſterenſis Epiſcopus, Wormatienſis Epiſcopus, Spirenſis Epiſcopus, Brixienſis Electus, Hildesheymenſis Epiſcopus, Imperialis aulae Cancellarius, Abbas Fuldenſis, Abbas Heſuuoldenſis, Abbas de Tergente, Abbas Ebuuacenſis, Item Rex Bohemiae, Dux Saxoniae, Dux Bauariae, Dux Auſtriae, Dux Morauiae, Marchio de Ruueſperg, aliique Alemanniae nobiles, *Magnitudini ueſtrae duximus declarandum, quod mortuo inclyto Domino noſtro, Henrico, Romanorum Imper. Aug. collecta multitudine Principum illuſtrem dominum noſtrum Philippum* in Imperatorem Romani ſolii rite et ſolenniter elegimus etc. Ottonem contra, *Colonienſes et Argentinenſes cum epiſcopis ſuis et alii quidam* ex Anglia euocatum *apud Coloniam in regem elegiſſe* dicuntur, apud Vrſpergenſem ad a. 1198. (p. 321.) Qui uero illi *alii* fuerint, ex alia epiſtola ab eodem Baronio l. c. n. 56. edita cognoſcitur, quae ita ſe habet:

Sanctiſſimo Patri ac Domino Innocentio, ſacroſ. Romanae ſedis ſummo Pontifici Principes et Barones Alemanniae, Clerici et Laici debitam in Chriſto reuerentiam et ſinceritatem obſequii.

Cum placuiſſet ei - - - - D. Othonem, Chriſtianae fidei cultorem deuotiſſimum - - - - ad Romani regni faſtigium iuſte et rationabiliter elegimus, et ſicut debuimus, ipſius electioni conſenſimus, ipſumque in Auguſtorum ſede a Carolo M. *apud Aquisgranum huic dignitati deputata locauimus, et corona et regni diademate, per manum D. Adolphi Colonienſis Archiep. ea, qua decuit, ſolennitate, feliciter coronauimus. Nos autem Principes, qui iam dictum dominum in regem elegimus, feuda noſtra a manu ipſius recipientes hominium ſibi fecimus etc.*

Ego

* *Ego Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus elegi et ſubſcripſi.*

* *Ego Berardus Paderbornenſis Epiſcopus elegi et ſubſcripſi.*

* *Ego Thietmarus Mindenſis epiſcopus elegi et ſubſcripſi.*

* *Ego Vuidichindus Condeienſis Abbas elegi et ſubſcripſi.*

* *Ego Gerardus Tutenſis Abbas elegi et ſubſcripſi.*

* *Ego Eribertus Vuendenſis Abbas elegi et ſubſcripſi.*

* *Henricus Dux Lotharingiae, qui et Brabantiae, Marchio Romani Imperii elegi et ſubſcripſi.*

His omnibus uero legitimam eligendi facultatem ne aduerſarii quidem denegare audent, nihil aliud obiicientes, quam quod a rege Anglorum, Ottoni nepoti ſuo fauente, corrupti et numero inferiores ſint. Nec aliter comparata erant comitia, quibus A. 1208, poſt Philippum ſublatum, electio Ottonis ſiue renouata ſiue confirmata eſt. Nam *indicta eſt curia ſatis famoſa in Halberſtad, ubi conuenerat maxima pars Praelatorum et Principum Saxoniae et Turingiae, nec defuit Herbipolenſis electus Otho. Omnes igitur principes, qui conuenerant, ac ſi diuinitus inſpirati, pari uoto et unanimi conſenſu Othonem in Romanum Principem et ſemper Auguſtum elegerunt, in nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti, Archiepiſcopo, qui primam uocem habere uidebatur, inchoante, proſequente uero Bernhardo Duce cum Marchione Myſnenſi et Landgrafio Turingiae cum aliis, ad quos electio regis pertinere uidebatur.* Verba ſunt *Arnoldi Lubec.* Chron. Slau. L. VII. c. 15.

De Friderico II *Abbas Vrſpergenſis: Anno Domini 1210 Otho excommunicatus denunciatur. Tunc Princi-*

pes

pes Alemanniae, rex uidelicet Bohemiae, dux Auſtriae, dux Bauariae, et Landgrauius Thuringiae, et alii quamplures *conuenientes, Fridericum regem Siciliae* elegerunt *in Imperatorem coronandum*.
De Conrado IV pater ipſe Fridericus II in epiſt. VIII. *Noſter in Imperio ſucceſſor*, quem principes uniuerſi elegerint, *hunc honorem Eccleſiae Dei et imperio et hanc partem noſtram ſub eodem iuramento tuebitur ſemper atque tenebit*.

III.) Hiſtoriae certiori aduerſatur, quod inter VII uiros Electores ab Ottone III uel Gregorio V. conſtitutos rex Bohemiae refertur. Nam praeterquam quod tum perpetua fere bella inter Germanos et Bohemos interceſſerint, hi ineunte ſeculo XI non reges, ſed duces habuerunt. Ac tametſi A. 1086. Vratislaus ab Henrico IV. Imp. regiam dignitatem obtinuit, Vid. *Æn. Syluius* Hiſt. Boh. c. 23. *Goldaſtus* T. I. Conſt. ad a. 1085. in Reichs-Satzungen P. II, p. 8, 9. et Regn. Bohem. L. III. c. 12. n. 12. ea tamen ſucceſſores illius usque ad Vladislaum, qui A. 1159. beneficio Friderici I rex inauguratus eſt, abſtinuerunt. Leg. *Æn. Sylujus* l. c. cap. 24. *Abb. Vrſperg*. Chron. in Frid. p. 297. *Cranz*. Vand. L. VI, c. 6. Imo ne ab iſto quidem tempore Principes Bohemiae hoc titulo conſtanter uſi ſunt, antequam Primislao Duci, a Philippo Imperatore circa A. 1199. in perpetuum confirmaretur. Leg. *Arnoldus Lubec*. Chron. Slau. L. VI, c. 2. *Ioannes Dubrauius* Hiſt. Bohem. lib. XV. *Bobuslaus Balbinus* Epit. Rerum Bohem. L. III. c. 10.

IV.) Illud etiam cum ſententia uulgari non congruere, obſeruant, quod cum toties aliorum Principum imo Baronum et Abbatum nominatim in comitiis Imperatoriis mentio iniiciatur, nunquam ullus *Marchio Brandenburgicus* aut *Comes Palatinus* ante Friderici II tempora iis interfuiſſe legatur.

§. 7.

§. 6. Quemadmodum uero inter haec argumenta alterum, quod a ſingulorum ante Fridericum II, Imperatorum electione deducitur, clariſſimum haud dubie atque fortiſſimum eſt, ita etiam in eo deſtruendo aut propulſando communis de origine Electorum opinionis patroni potiſſimum deſudarunt. Praecipua et omnium fere communis reſponſio eſt, qua inter Principum in comitiis Imperatoriis *praeſentiam* atque *electionem* diſtinguunt. Illam ſcilicet, non hanc, a ſcriptoribus adductis, omnibus tribui, contendunt. Ceterum praeſentiam iſtam non una omnes ratione explicant. *Bellarminus*, eos nulla alia de cauſa adfuiſſe, putat, quam, ut Imperatorem *a VIIuiris electum agnoſcerent, eique praeſentia ſua fauerent. L. III. c. 2.* cum quo fere conſentit *Schardius*, dum in lib. de Orig. Elect. *cap. 9.* ex ueteri quodam libro *de Iure Caeſareo, regio, feudali et naturali*, probare conatur, Electores, *facta demum electione, alios Principes, quotquot eorum haberi potuerint, conuocaſſe*, quorum ſcilicet *approbatio Electorum ſuffragiis acceſſerit*. Paulo plus autem Principibus illis relinquunt *Heigius* P. I. Quaeſt. III. §. 68. ſeqq. *Gewoldus L. VII. p. 122, Windekius c. V, p. 14.* et *Mauritius c. I, §. 10.* qui, eos non ſimplicem tantum praeſentiam ſuam Imperatoribus eligendis commodaſſe, nedum poſt electionem a VIIuiris factam, demum conuocatos fuiſſe, ſed ante illam, ius Imperatorem nominandi, poſtea, eandem aſſenſu ſuo comprobandi facultatem habuiſſe, affirmant. Quoniam uero Monachi aliiqui ſcriptores iuris publici minus periti diſcrimen inter *Nominationem Conſenſum* et *Electionem* proprie dictam non intellexerint, hinc factum eſſe, ut tres diuerſiſſimos actus communi *electionis* nomine expreſſerint. Interim tamen illud non neglectum fuiſſe ab *Alberto Stadenſi* et Auctore *Speculi Saxonici*, locis ſupra cap. I, §. 3. recitatis, quibus VIIuiri

 Impe-

Imperatorem *ex conſenſu et praetaxatione Principum* eligere dicuntur, quin etiam clariſſimis uerbis indicari a *Welberto* et *Amando* ſcriptoribus ſeculi XII. Prior enim, qui Conradi III. Imp. Sacellanus fuiſſe dicitur, *in Comment. de Elect. Lotharii Imp. apud Gewoldum Cap. VI. Mortuo*, inquit, *Henrico Principe, ex toto regno congregati ſunt in Moguntina urbe, ubi de electione noui regis magnus erat tractatus. Initio in magna curia collecti erant omnes, qui ibi fuerant, ſeculares et ſpirituales, quorum plerique* nude et ſimpliciter nominabant, *quem optabant per alios eligi, et tamen* ipſi non eligebant, quia non habebant uoces ſuffragiorum realium. *Cum igitur* nominauerunt Lutherarium, *dixerunt: Huic promti ſumus obedire, ſi uos eum inthronizabitis in regnum, ueſtris annuentibus uotis et beneplacitis, nulla diſcordia eſt.* Pauci autem ſpirituales et temporales Principes *examinantes perſonam Lutherarii et bellicoſa facta et merita erga Chriſti ſeruos, eum* uotiue elegerunt, *cum eum magnopere commendaſſet Albertus epiſcopus Moguntiae. . . Alii Principes*, qui nulla dabant ſuffragia, *libenter eum amplexati ſunt fauore, et habuerunt pro rege.* Poſterior, Friderici I. ut ferunt, Secretarius, *lib. de primis actis a Friderico in Imperio peractis* eodem fere modo de Imperatoris ſui electione loquitur: *multi illuſtres heroës ex Lombardia, Thuſcia, Ianuenſi et aliis Italiae dominiis, ac maior et potior pars Principum, in trans-Alpino regno conuenerunt. In urbe Francofurtenſi plurimo numero Principes conuenientes differunt per ſuos internuncios* ad ſex aut octo Principes officiatos regni, reſidentes in arcano loco curiae regalis: *Nos et tota patria teſtatur, nullum aptiorem eſſe regno regendo, quam Fridericus de Waiblinga et Stauffa, quem* per uos Deus in regnum ſublimare *dignetur, cui parata erunt noſtra obſequia usque ad mortem.* In hunc ſi ueſtris uocibus, o officiati, conſentitis, *firmum robur habebit ſui imperii.*

Cum

Cum ex ſecreto conclaui prodirent officiati, indicantes, ipſos unanimiter Fridericum in regem, ſeruatis de iure ſeruandis, elegiſſe, cunctus omnium ordinum applauſus eſt ſecutus, dicentes, haec electio tuta et firma conſiſtit. Nam omnium noſtrum munietur praeſidiis, apud *Gewoldum cap. VI, num. 69.*

§. 7. Sed quid in hac etiam ratione aduerſae partis defenſores requirant, paucis eſt indicandum. Scilicet 1.) nullum ex allatis teſtimoniis demonſtrat, quod reliquis Principibus in comitiis Imperatoriis nuda tantum praeſentia conceſſa fuerit. 2.) Si uel maxime iuxta *Albertum Stadenſem*, ſeculo XIII. aut iuxta *Amandum et Welbertum*, iam ſeculo XII. electio ſtrictiſſime dicta, quae *Nominationi* et *Conſenſui* opponitur, penes ſolos Septemuiros Officiales fuerit, non tamen apparet, quamobrem illud ad Ottonis usque aetatem ſit extendendum. Praeterea 3.) *Amandus* et *Welbertus*, quorum uerba primus omnium, forſan ex libro manu exarato, Gewoldus, ex huius Commentario autem alii deinceps protulerunt, obſcuriores ſunt, quam ut omnibus eruditis fidem faciant. Audiamus inſtar omnium celeberrimi *Leibnizii* iudicium, ex *praefat. Codicis Iur. Gent. Diplomatici pag. 12: Welbertus et Amandus neſcio qui, quos unus Gewoldus teſtes citat*, νοθείας *prope manifeſti ſunt, et ſuopte utique indicio produntur.* Idem fortaſſe de auctore illo, neſcio quo, libri de Iure Caeſareo, regio, feudali et naturali, quem unus Schardius teſtem citat, pronunciandum fuerit. Hoc etiam 4.) addiderim, non omnes, qui poſt Ottonem III. Imperatores ab omnibus principibus electos eſſe, ſcribunt, rudes et iuris publici imperitos monachos fuiſſe, quod putat Mauritius, cum inter eos Abbates quoque et epiſcopos ſummo loco natos, qui ipſimet comitiis Imperatoriis interfuerunt, deprehendamus.

§. 8. Ita-

§. 8. Itaque Bellarminus, quaſi reſponſioni ſuae diffidens, aliam, ſed, ſi rem ipſam ſpectes, multo infirmiorem, et priori prorſus contrariam, quaſi in ſubſidiis collocat, et decretum Gregorii V. de Electoribus, non ſtatim, qua omnes partes, executioni mandatum fuiſſe, ſuſpicatur. *Altera*, inquit, *reſponſio eſſe poſſet, ſanctionem illam a Gregorio V. Pontifice, Othone III. Imperatore conſentiente, factam eſſe, ſed non continuo omnes partes eius decreti in mores induci potuiſſe. Quatuor enim eius decreti uidentur eſſe partes:* Vna, *ut non hereditate, ſed electione ad Imperium ueniatur.* Altera, *ut ſoli Principes, non etiam populus eligat.* Tertia, *ut ii Principes Germani ſint.* Poſtrema, *ut non omnes Principes Germani, ſed ſex duntaxat aut ſeptem Imperatorem eligant.* Sed ut taceam, omnes huius decreti partes ex ingenio Bellarmini confictas et conditioni antecedentium uel conſequentium temporum prorſus contrarias eſſe, quod *Chr. Lehmannus in Chron. Spir. Lib. V. c. 17.* ex inſtituto demonſtrat, eo ipſo, dum *ultimam* demum *poſt electionem Friderici II. uſu recipi coeptam eſſe*, affirmat, ſi ſibi ipſi conſentiens eſſe uelit, nullos antea Electores fuiſſe, confitetur.

CAP. III.

EORVM IVDICIA COMPLECTENS, QVI, ELECTORES POST OTTONIS III. TEMPORA CERTO ALIQVO DECRETO CONSTITVTOS ESSE, EXISTIMANT.

§. I.

HActenus primam et communem illam antiquorum de Origine Electorum ſententiam paulo fuſius explica-

plicauimus, propterea, quod non modo rei dignitas, de qua per duo fere ſecula, ſumma utrinque eruditorum contentione diſputatum eſt, id poſtulare uidebatur, ſed et argumenta in ea adhibita omnibus ſequentibus opinionibus recte diiudicandis lucem afferunt. Cum uero ea ipſa de cauſa in his, quae praeſertim per ſe minus celebres ſunt, recenſendis, nobis breuioribus eſſe liceat, omnes, qui certum aliquod decretum de collegio Electorum intra Ottonis III. et Caroli IV. aetatem promulgatum eſſe, arbitrantur, hoc uno capite coniungemus.

§. 2. Quod ſi huius interualli Imperatores Auguſtos ordine conſiderare uelimus, *Henrico II*, non excluſo prorſus Pontifice Romano, Electorum conſtitutionem tribuit NICOLAVS CVSANVS, *Cardinalis*, ſeculo XV. clarus, *in lib. III. de Concordantia Catholica c. 4.* Cum quo coniungi poſſunt illi, qui a Gregorio V. demum poſt mortem Ottonis III. tale quoddam decretum promulgatum putant, ut *Marſilius Patauinus*, loco et uerbis ſupra Cap. II. §. 1. citatis, ut et, qui ſpeciatim in interregno Ottonis III. mortem ſecuto id factum eſſe, arbitrantur, ſine dubio Martini Poloni teſtimonio non ſatis intellecto in hanc ſententiam adducti, ut uel ex his *Antonini* uerbis, *Hiſtor. Part. II, Tit. XVI. Cap. 4, f. 104.* occurrentibus intelligas: *Sciendum, quod non ſtatim poſt mortem Ottonis III, iſte Henricus fuit electus Imperator. Nam mortuo Ottone per annum et amplius uacauit imperium: cum de eligendo Imperatore principes Alemanniae non concordarent. Nam quamuis iſti tres praecedentes Ottones per ſucceſſionem generis imperitauerint, poſt mortem ultimi*, ut dicit Martinus in Chronico, *inſtitutum fuit, ut Imperator principum prouiſione eligeretur, ſiue per officiales Imperii, qui ſunt ſeptem, ſcilicet tres Cancellarii Archiepiſcopi, Moguntinus uidelicet Germaniae,*

 Tre-

Treuirenſis Galliae, Colonienſis Italiae, Marchio Brandenburgicus, qui et Camerarius Imperatoris, Comes Palatinus, qui et Dapifer, Dux Saxoniae, qui portat enſem ante Imperatorem, et Pincerna, rex Bohemiae. Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

§. 3. Prouocant autem illi, qui Cuſani ſententiam defendunt, ad monumenta Eccleſiae Aquilegienſis, quibus memoriae proditum ſit, ſanctionem de VIIuiris Electoribus ab Henrico II. Imperatore et Sylueſtro Papa factam eſſe. Meminit eorundem *Nauclerus Vol. II. Generat. 34.* et traditionem hanc cum uulgari et communi ueterum de origine Electorum opinione ita conciliat, ut, legem eiusmodi ab Ottone III. et Gregorio V. latam quidem, ſed in Henrici II. electione, cum Syluestri II. Pontificis conſenſu et approbatione primum executioni mandatam fuiſſe, putet, cui accedit *Gewoldus de S. Imp. Septemuir. Cap. VI, n. 75.* Paulo aliter uero hanc diſſenſionem componit *Goldaſtus Bohem. Lib. III, cap. 6. num. 3.* dum Ottoni et Gregorio primam Electorum ordinationem, Henrico II. et Syluestro confirmationem eorum adſcribit. Confer. *Carpzou. de Lege Regia German. Cap. X. Sect. V. §. 12.* Sed ut nondum ſatis, cuius fidei uel auctoritates ſint monumenta illa, exploratum eſt, ita nemo non intelligit, poſſe ſententiam hanc iisdem argumentis, quae Cap. II. contra primam adducta ſunt, oppugnari.

§. 4. Poſt mortem Henrici II. proxime ante *Conradi II.* Imperium decretum iſtud a Principibus Germaniae conditum eſſe, cenſet Theodoricus a Niem in Nemore Vnionis cap. 31. *Poſt obitum*, inquiens, *Henrici ſancti principes Germaniae ordinauerunt, ut in poſterum Romanus Princeps eligeretur per tres Eccleſiaſticos et tres Lai-*

Laicos nationis Germanicae, et iis diſcordantibus, per adiunctum Ducem Bohemiae. Quemadmodum uero ſententia haec nulla ueritatis ſpecie, nedum ſolida ratione probatur, ita nec quisquam alius, quod ſciam, eam amplexus eſt, aut de ea defendenda magnopere laborauit.

§. 5. *Friderici I. Aenobarbi* temporibus ſanctionem hanc optime congruere, putat CASPARVS PEVCERVS, eo potisſimum argumento nixus, quod hac et ſequenti aetate haud obſcura de paucorum ſuffragiorum numero ac iure documenta occurrant. Nam *Chron. Lib. IV. in Frid. I.* in hanc fere ſententiam ſcribit: Veriſimillimum eſſe, quod hoc tempore proceres Imperii in certos ordines diſtributi fuerint, atque adeo conſtitutio Imperii de Senatu ſeptem Electorum coeperit, etſi nihil diſerte de eo traditum ſit, quis numerum et hodiernas Electorum familias primum deſignarit. Nam poſt hunc Imperatorem Fridericum perſpicue legi in hiſtoriis de ſuffragiis regis Bohemiae, Ducis Saxoniae, Comitis Palatini et Marchionis Brandenburgici.

§. 6. Eum uero praeter ceteros confutat BEVTHERVS *in Animaduerſ. Hiſtor. Cap. XIII.* Et ſane uel ex iis, quae ſupra de ſucceſſorum Friderici I, praecipue Philippi et Ottonis IV. electione attulimus, manifeſtum eſt, hanc illo tempore ad ſolos Officiales nequaquam pertinuiſſe.

§. 7. Qui *Ottonem IV.* Collegii Electoralis auctorem faciunt, ut CALVISIVS in Op. Chronol. ad A. 998. CRVSIVS Annal. Sueuic. Lib. V, P. II. c. 7. GERLAC. BVXTORF. in Diſſ. ad Aur. Bulllam cap. IV. concl. 49. lit. e. RVMELINVS ad A. B. Diſſert. VIII. th. 7.

CHRIST.

CHRIST. MATTHIAE in Theatro Hiſtorico, pag. 948. MEGERLINVS in Indice Hiſt. p. 119. reliqui, fidem ſententiae ſuae conciliare conantur auctoritate Diplomatis cuiusdam ab hoc Imperatore in comitiis Francofurtenſibus editi, et a *Goldaſto Tomo III. Conſtitutionum Imperialium ad A. 1209. f. 371.* inſerti, cuius partem praecipuam iam ſupra Cap. II, §. 3. ex Petro Bizaro retulimus. Atenim fontem huius erroris Goldaſtus ipſe, re poſtmodum diligentius explorata, *in Lib. III. de Regno Bohemiae cap. V, num. 9.* his uerbis detexit: *Pace illorum liceat, quod res eſt, fateri. Impoſuerat mihi Marqu. Freherus, qui illud decretum ſua manu exſcriptum ſub nomine Ottonis IV. ad me transmiſit: ego porro aliis, communicando et in conſtitutiones Imperiales referendo, ſed ſine dolo et fraude. Comperi enim poſtea, illud decretum non eſſe Ottonis IV. Brunſuigii, ſed a Io. Baptiſta Egnatio in uita Ottonis III. confictum, probabilius quidem iuxta ueterum opinionem, quam uerius. Quod monendum duxi, ne quis mea culpa porro decipiatur, daboque operam, ut expungatur ex loco, quem iniuſte occupauit.*

§. 8. Plurimi quoque et minime indocti uiri *Friderico II.* huius conſtitutionis gloriam relinquunt. Nominatim REINH. KOENIGIVS *in Diſſ. de Statu Imperii et Origine Electorum*, An. 1608. Gieſſae ed. et *Goldaſti Politicis Imperial. P. XIV*, inſerta, poſt uarias aliorum opiniones commemoratas, pergit: *alii uero, tempore Friderici II. Senatum illum Septemuirorum conſtitutum ſcribunt. Quorum ſententia et nobis ex hiſtoriarum monumentis non obſcuris probanda uidetur.* Et CHRISTOPHORVS LEHMANNVS, in hiſtoria iurispublici Germanici, ſi quisquam alius, praeclariſſime uerſatus, *Chron. Spirens. Lib. V, cap. 17. p. 364.* Daß aber / ſcribit, bey Regierung gedachten Käyſers Friedrichs die Verordnung im Reich überkom-

kommen / und verabſchiedt / daß die Wahl bey den Officirern des Reichs allein bewenden ſoll/ iſt aus Alberto Stadenſi zu vermuthen/ der um dieſelbe Zeit gelebt/ und ſeine Hiſtorie bis auf das Jahr 1256. geführt. Subiungit deinde uerba, quae ſupra ex Alberti Stadenſis Chronico recitauimus. Similiter IAC. LAMPADIVS *de Republ. Rom. Germ. P. III, c. 4. §. 2. Si quis*, ait, *unquam Imperatorum Septemuiros certo definiuerit, fuiſſe id Fridericum II. audeo affirmare.* Et poſt refutatam opinionem, quae originem Electorum a conſuetudine antiqua repetit, *Cur igitur*, addit, *eligendi Caeſaris poteſtatem Electoribus Friderici conſtitutione obueniſſe, dubitem, non uideo.* Nec alienus ab hac opinione uidetur IO. FREINSHEIMIVS, quando in *Diatriba III. de Electorum et Cardinalium Praecedentia §. 29. Conſenſu*, ait, *principum factum uidetur, ad tollendas exitioſas diſſenſiones, ut Friderici II. tempore VII. Electores conſtituerentur.*

§. 9. Species quaedam huic opinioni conciliatur ex eo, quod poſt finitum interregnum Germanicum, Electores tempore Rudolphi iam fuiſſe, et hunc ipſum ſuffragiis ſuis ad faſtigium iſtud extuliſſe, plerique omnes concedunt. Iam uero conſtitutionem illorum nemini *ante* Fridericum II. tribui poſſe, ex teſtimoniis Cap. II, §. 5. collectis apparet, quae, hunc ipſum Imperatorem non minus, ac antecedentes, communibus procerum Germanorum ſuffragiis electum fuiſſe, oſtendunt. *Poſt* eius deinde tempora tanta fuit usque ad Rudolphum rerum omnium perturbatio, ut nemo omnium conſenſu Imperium obtinere, nedum nouas leges fundamentales perferre potuerit. Relinqui ergo, exiſtimant, id in ſolius Friderici II. tempora quadrare.

F §.10. Ate-

§. 10. Atenim, ut ratio illa non ſatis tuto fundamento nititur, quo ſcilicet, collegium Electorale nonniſi certo Imperatoris cuiusdam decreto conſtitui potuiſſe, creditur, ita a *Conringio* in *Notis ad Lampad. l. c.* et in *Exerc. de VIIuiris §. XXX, Thulemario in Octoviratu Cap. VII. §. 31.* aliisque non unum in contrariam ſententiam argumentum affertur, etſi hic, conſtitutionem iſtam antiquiorem, illi recentiorem eſſe, contendunt. Nam 1.) non uериſimile ipſis uidetur, tot Principes inter ſe pariter atque ab Imperatore ipſo plerumque diſſidentes una huius lege ac uoluntate motos de tanto iure ſuo per inueteratam conſuetudinem firmato, ſubito deceſſiſſe. 2.) Huiusmodi Friderici II. conſtitutio nulli unquam uiſa nec cuiquam ueteri et probato ſcriptori memorata eſt. 3.) Ipſe Fridericus II. ut ſupra oſtendimus, An. 1237. filium ſuum Conradum ab *univerſis principibus* eligendum curauit. Neque eſt, quod poſt electum Conradum, legem illam promulgatam eſſe, coniiciamus, cum ex hoc tempore auctoritas eius magis magisque exoleuerit, ad tantam tamque grauis momenti mutationem per ſe non ſuffectura.

§. 11. Cognata huic eſt CAESARIS BARONII opinio, qui *in Annal. Ecclеſ. Tom. X. ad An. 996. num. 60. ſeqq.* Innocentium IV. Pontificem A. 1245. in concilio Lugdunenſi, poſt Fridericum II. Imperatorem proſcriptum atque exauctoratum, noui Imperatoris eligendi poteſtatem ad VIIuiros, non eosdem tamen omnes, qui hodie ſunt, ſed ad Ducem Auſtriae, Ducem Bauariae, Ducem Saxoniae, Ducem Brabantiae, qui et Louaniae, Archiepiſcopum Colonienſem, Archiepiſcopum Moguntinum et Archiepiſcopum Salisburgenſem reſtrinxiſſe, contendit.

dit. Quo uero tempore Ducibus Auſtriae, Boioariae et Brabantiae Rex Bohemiae, Comes Palatinus et Marchio Brandenburgicus, Salisburgenſi autem Praeſuli Treuirenſis ſubſtituti fuerint, illud ſe ignorare, non diffitetur. Conſentit ei praeter ceteros *Bernhardus a Mallinkrot de Archi Cancell. Lib. II, cap. 3. p. 185.* Vnum et ſolum huius ſententiae fundamentum eſt teſtimonium *Matthaei Pariſienſis* Monachi Benedictini Sec. XIII. qui in *Hiſtoria Maiore* non multo poſt Concilium Lugdunenſe edita, dum huius ipſius decreta recenſet, ad A. 1245. p. 456. edit. Pariſ. ſequentia in iis de Imperii Proceribus et Principibus Electoribus commemorat: *Magnates Alemanniae, non tamen Electores Imperatorum:*

Rex Bohemiae.	*Dux Lemburgiae*
Dux Lotharingiae.	*Dux Carenteniae.*
Dux Bruneſuuikiae.	*Dux Saxoniae.*
Dux Suauiae.	*Comes de Gelria.*
Landegrauius Duringiae.	

Electores Imperatorum:

Laici	*Dux Auſtriae.* *Dux Bauariae.* *Dux Saxonum.* *Dux Brabantiae, qui et Louaniae.*	
Praelati	*Archiepiſcopus Colonienſis* *Archiepiſcopus Maguntinus.* *Salburgenſis.*	*Principales.*

Iſti ducentur in inſulam quandam Rheni, et dimittentur ſoli in ea, et amouebuntur omnes nauiculae, et ibi tractabunt de electione Imperatoris: nec adueniet aliquis ad eos, donec ſint con-

concordes. Huic negotio praeerit Archiepiſcopus Colonienſis, ſecundus Maguntinus, tertius Salburgenſis. Eadem haec uerba *Melch. Goldaſtus* ſub titulo: *Concilii Lugdunenſis decretum de Electione Imperatoris Romanorum, in Conſtitutionum Imper. Tom. III. p. 396.* retulit.

§. 12. Sed multa habent, quae in teſtimonio iſto pariter ac ipſa Baronii ſententia requirant cum *Goldaſtus ipſe de Regno Bohem. Lib. III. cap. 5. num. 9, tum Limnaeus in Addit. ad Ius Publ. Lib. III, cap. 1. Conringius in Animaduerſ. ad Bullam Innocentii X, Cap. X. Freinsheimius Diatr. III. de Electorum et Cardinalium Praecedentia, §. 29. ſeqq. Palatius in Aquila Saxon. Lib. XIV, cap. 3. Otto Menkenius in Exercitatione Hiſtorica ad Excurſum Baronii Tom. X. Annal. de Origine Electorum num. 19. Thulemarius in Octouiratu Cap. VII, §. 20. ſeqq.* aliique complures. Nam 1.) totus ille locus, Conringii iudicio, ſpurius eſt et ab aliena manu acceſſit, propterea, quod neque cum antecedentibus et conſequentibus cohaereat, nec cum iis conciliari poſſit, quae Paris ad An. 1257. pag. 633. ubi Richardi Imp. electionem exponit, de Proceribus Germaniae ſcripta reliquit. *Hi ſunt*, inquit, *maximi in Alemannia, ad quorum nutum pendet electio ipſius regni, quod eſt quaſi arra Imperii Romanorum:* Archiepiſcopus Coloniae, *cuius titulus eſt*, Sacri Imperii Proto-Cancellarius, *poſt honorem Archipraeſulatus, Archiepiſcopus* Moguntinus, *Archiepiſcopus* Treuirenſis, *Rex* Bohemiae, *Comes* Palatinus de Rheno, *Dux* Auſtriae, *Dux* Suauiae, *qui et comes* Bauariae, *Dux* Poloniae, *Marchiſius de* Miche, *Marchiſius* Brandenburg, *Dux* Saxoniae, *Dux* de Brunſuuic, *Dux* de Melui, *Dux* Brabantiae, *qui et* Louaniae, *Landegrauius* Duringiae, *Marchio* Miſiae. *Inter omnes hos Magnates ſupereminens eſt Archiepiſcopus Colonienſis; qui coronare*

tene-

tenetur Regem Alemanniae apud Aquisgranum, ab antiqua et approbata conſuetudine. Nec parum ſane hoc Conringii iudicium confirmat *VVilhelmus VVatſius*, curator modo dictae editionis Pariſ. dum inter Variantes Lectiones ad pag. 456. totam illam digreſſionem de Magnatibus Alemanniae in Codice Cottoniano in margine ſiue ora chartae ſcriptam fuiſſe, obſeruat. Et in aliis quidem Codd. eam prorſus deſiderari, uel inde colligo, quod *in Tomo XI. Conciliorum, Labbei col. 666.* ubi totus alioquin Matthaei Pariſienſis locus de concilio Lugd. compareт, omittatur. 2.) Si uel maxime teſtimonium Matthaei pro germano agnoſceretur, uerisimilius tamen eſſet, Monachum illum in rebus ciuilibus, et exterum in Germanicis, quas praeſertim non ex inſtituto, ſed tantum per occaſionem attingit, errorem admiſiſſe, quam legem eiusmodi unquam in Imperio uiguiſſe. Qui enim fieri potuiſſet, ut res tanti momenti publice geſta atque decreta ab omnibus domeſticis ſcriptoribus praetermitteretur, et ne in actis quidem concilii Lugdunenſis, aut in *Bullario Magno*, quo tamen XXI. Innocentii IV. Bullae continentur, uel uerbo commemoraretur? Atqui nuspiam uel Archiepiſcopum Salisburgenſem cum Ducibus Auſtriae et Brabantiae inter Electores ſtricte dictos relatum uideas, uel lepidae illius in inſulam deportationis ueſtigium deprehendas. Neque hoc ſilentium tantum narrationi illi obſtat, ſed facta ipſa reclamant. Nam uix duobus poſt Concilium Lugdunenſe annis Henricus, Landgravius Thuringiae, ipſius Innocentii IV. inſtinctu, contra Fridericum II. electus eſt, ſed neque a Septemuiris illis, nec in inſula quadam Rheni, ſed apud Herbipolim, iuxta *Alb. Stadenſ. ad A. 1246.* et *Cranz. Saxon. L. VIII, c. 13.* Tum uero 3.) nulla

 ratio

ratio apparet, quamobrem ius eligendi priuatiuum Archiepiſcopo Salisburgenſi, Ducibus Auſtriae et Brabantiae ſemel conceſſum tam ſubito uiciſſim fuerit ereptum. Illud enim perabſurde a Baronio dicitur, eos tanto iure ceſſiſſe propterea, quod eligi, quam electores eſſe maluerint: quaſi uero Imperii capiundi poteſtas, quae in omnes Germaniae principes cadit, Electoribus ſecularibus denegetur, aut Eccleſiaſticis per excluſionem ab Illuſtri illo Collegio conciliari poſſit. 4.) Denique etiamſi plena Matthaeo in hac re fides adhiberetur, quam tamen in aliis Baronius ei tantum non omnem derogat, ne ſic quidem id, quod intendit, ex uerbis eius exſculpere poſſet. Non enim ille Pontificem Collegii huius Electoralis auctorem facit, ſed Innocentium IV. ab Electoribus illis (iam ante ſcilicet conſtitutis) non ſine magnorum munerum oblatione, tantum petiiſſe, ſcribit, ut alium ſibi Imperatorem eligerent, etſi huius ipſius deprecationis repulſam tulerit: tantum abeſt, ut ſuo nutu et arbitratu eligendi poteſtatem ad paucos reſtrinxerit. Taceo, quantam in eo Annalium ſcriptor, hiſtoriae Germanicae ignorantiam prodat, quod dignitatem Electoralem a Duce Bauariae paulo poſt per eundem Innocentium ad Comitem Palatinum translatam fuiſſe, arbitratur, cum eo tempore unus idemque Comes Palatinus et Dux Bauariae fuerit, donec An. 1256. ditiones illae inter filios Ottonis Illuſtris ita diuiderentur, ut Ludouico Bauaria ſuperior, cum Palatinatu, Henrico inferior Bauaria obtingeret. Leg. *Andreae Presbyteri Ratisbonenſis Chron. Bauar. pag. 65. Io. Trithemii Chron. Sponheim.* ad An. 1245. f. 277. *Chriſt. Lehmanni Chron. Spir. L. V, cap. 92. Dan. Parei Hiſt. Palatina pag. 79.*

§. 13. Pro-

§. 13. Progredimur ad Ioannis Aventini et Onvphrii Panvinii ſententiam, qui, finito fere magno Germaniae interregno, Collegium Electorale, auctore potiſſimum *Gregorio X. Pontifice*, initium cepiſſe, arbitrantur; ut ſc. ab inueterata illa, quam primi confutarunt, opinione, *Gregorio V.* conſtitutionem hanc tribuente non prorſus recesſiſſe, ſed, mutato tantum numero, ſimilem aliquo modo amplexi eſſe uideantur. Non alienum inſtituto noſtro uidetur, utriusque uerba hic recitare. Prior *in Annal. Boiorum Lib. V, pag. 310.* edit. Francof. ſine omni dubitationis indicio ita pronunciat: *De Septemuiris et primariis Heptarchis, qui ſibi deligendi Imperatoris Romani Germanicique partes nunc ſumunt, nihil penitus, ne uerbo quidem uno, neque Hermannus, neque Romerius, neque Sigebertus, neque Otto noſter Guntherusue poëta, et ceteri, profecto non omiſſuri tantam rem, ſi, uti noſtro ſeculo ſunt, illa tempeſtate principes illi conſtituendi Caeſaris legem ac praerogatiuam accepiſſent. Res aliter eſt, nempe longo poſt tempore inſtituta: filios ſemper parentibus, proximos ſanguine et affinitate in demortuorum locum ſuccesſiſſe, ab omnibus communiter ducibus, dynaſtis, ſatrapis, epiſcopis, praeſulibus, ciuibus, populo Italiae, Galliae, Germaniae deſignatum eſſe rectorem, uſus tum rerum magiſter indicat. Ego illos demum poſt fata Friderici II. inſtitutos, et a Gregorio X. Pontifice maximo confirmatos eſſe, compertum habeo.* In eandem ſententiam, etſi non pari confidentia, *poſterior, Lib. de Comitiis Imperatoriis*, Capite, quod de ueriori VII. Imperii Electorum inſtitutione, inſcribit, p. m. 401. *Etſi*, inquit, *certo conſtat, hanc VII. Electorum inſtitutionem inter Annum Chriſti ∞ CCL. et ∞ CCXXC. exortam fuiſſe, tamen, quo potiſſimum anno, uel quibus de cauſis, aut a quo Pontifice, uel etiam*

iam quo Germanorum Principum conuentu, aut generali uel prouinciali concilio id factum fuerit; mihi adhuc incompertum eſt. Et poſt alia interiecta: *Vt autem multis coniecturis conſequi potui (nihil enim certi habeo, quod affirmem) haec inſtitutio exorta fuit ſub Gregorio X. Placentino, circa tempora comitiorum, quibus poſt longum Imperii interregnum Rudolphus Habſpurgenſis rex appellatus fuit: et in magno concilio Lugdunenſi II, quod ex auctoritate Gregorii Papae X. anno poſt Rudolphi electionem celebratum fuit, recepta et confirmata.* Denique occaſionem erroris, quo per tantum temporis interuallum Gregorius V. auctor Collegii Electoralis habitus eſt, his uerbis indicat: *Hinc ortam crediderim opinionem illam, hos VII. Electores inſtitutos fuiſſe a Gregorio V, erroremque ſimilitudine nominum ſubortum nimirum V. pro X. ponentium.* Vehementer autem hoc qualicunque Panuinii cum Auentino conſenſu offenditur *Baronius*, adeo ut ad An. 996, num. 54. non ſine indignatione ſcribat, eum nullum alium habere ſententiae ſuae, quem ſequatur, auctorem, niſi *infectam haereſis ſcabie beſtiam, quam indigne nimis ipſe homo catholicus pectine ſculpat eburneo etc.*

§. 14. Rationes Panuinii potiſſimum hae ſunt, quod 1.) ab illo tempore, quo concilium Lugdunenſe, auſpicio Gregorii X. Pont. celebratum eſt, anno ſcilicet 1274. nomen Electorum primum uſu receptum fuerit, *cum antea nulla omnino huius uocis mentio ſit.* 2.) Quod Gregorius X. Papa in eodem concilio electionem Romani Pontificis nouam quandam inſtituerit, ut conclauis ingreſſionem, Nouendialia, ſubtractionem ciborum, conclauis cuſtodiam, rationem ſcrutinii et ſimilia, quae ante inaudita fuerant. Hinc facile fieri potuiſſe,

potuiſſe, arbitratur, ut Papae electione ordinata, idem quoque de Imperialibus comitiis fecerit, cum epiſcoporum Germaniae, qui concilio illi interfuerunt, conſenſu.

§. 16. Atenim ſi iudicium noſtrum hic interponere liceat, poſteriorem rationem per ſe nimis infirmam, priorem aperte falſam eſſe, exiſtimo. Nam nomen Electorum iam ante Gregorium receptum fuiſſe, publica et omni exceptione clariora Imperii noſtri documenta oſtendunt. Inſtar omnium ſint duae epiſtolae antecedentium Pontificum Alexandri IV. et Vrbani IV, altera ad Gerardum Archiepiſcopum Moguntinum, altera ad Richardum electum Romanorum regem ſcripta, utraque a *Leibnizio Prodromo Codicis Iuris Gentium Diplomatici* inſerta, p. 10. et 12. In priori iſta leguntur : *In omnes* Electores, *qui memoratum puerum* (Conradum IV.) *ad hoc nominare ſiue eligere ſiue in ipſum conſentire praeſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgamus, quam per te, antequam ad nominationem uel electionem aliquam procedatur, reliquis tuis Cöelectoribus praecipimus nunciari.* In poſteriori ille *concorditer electus eſſe* dicitur, *in quem uota omnium* Electorum Principum, *uel ſaltem duorum tantummodo in electione praeſentium diriguntur.* Haec uel propterea hic proferenda duxi, quod uideo, ea non tantum Onuphrium, ſed et confutatores eius, Schardium, Bellarminum aliosque latuiſſe.

§. 17. Itaque praeter Baronium hanc ſententiam, ex diuerſis licet principiis reiecerunt et confutandam ſumpſerunt *Robertus Bellarminus de Translatione Imperii L. III. cap. 2. Simon Schardius lib. de Principum, quibus electio Imperatoris in Germania commendata eſt, Origine Cap.* G *V. VI.*

Digitized by Google

V. VI. ſeqq. Conringius in Animaduerſ. ad Innocentii X. Bullam, Cap. X. aliique. Praecipua eorum argumenta petuntur partim a teſtimoniis, quibus ante Rudolphum uel Electores ipſi, uel Imperatores ab iis electi commemorantur. Inter teſtimonia de Electoribus, Rudolphi aetate antiquiora, praeter loca *Innocentii III.* in epiſt. Decretali *Venerabilem*, *Henrici Hoſtienſis* et reliqua iam ſupra Cap. II. §. 4. allata, referunt (1.) Decretalem epiſtolam *Innocentii IV*, qua Fridericum II. Imperatorem ſacris interdictum exauctorauit, in cuius fine iſta leguntur: *Illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio, eligant libere ſucceſſorem.* Vid. *Tom. XI. Concil. Labb. Col. 645.** Ex hac enim reſtrictione colligunt, ius eligendi ad quoſdam, non ad omnes Imperii Principes pertinuiſſe. (2.) Verba ipſius Friderici II. Aenobarbi, quibus epiſcopis Germaniae, eum ad reuerentiam Pontifici debitam cohortantibus reſpondit: *Debitam patri noſtro reuerentiam libenter exhibemus, liberam Imperii noſtri coronam diuino tantum beneficio adſcribimus: electionis primam uocem Moguntino Archiepiſcopo, deinde, quod ſupereſt, ceteris ſecundum ordinem principibus recognoſcimus: Regalem unctionem Colonienſi, ſupremam uero, quae Imperialis eſt, ſummo Pontifici. Quicquid praeter hoc eſt, ex abundanti eſt, ex malo eſt*, apud *Radeuicum in Continuatione Ottonis Friſ. de Reb. Geſtis Frid. I. Lib. I, c. 16.* Imperatoribus uero ſiue regibus Germaniae, ante Rudolphum per Septemuiros electis Conringius ipſe l. c. etſi alioquin a ceteris, qui Auentinum et Onuphrium confutarunt, diſſentiens, pleroſque omnes annumerat, qui tempore interregni, aut poſt Fridericum II. exauctoratum, ad dignitatem illam deſignati potius, quam euecti fuerunt, nominatim Henricum Landgrauium Thu-

Thuringiae, Vilelmum, Comitem Hollandiae, Richardum Anglum et Alphonſum regem Arragoniae: de quorum tamen electionibus uellem idoneos teſtes adduxiſſet.

§. 18. Finem huic capiti imponemus, ſi paucis attigerimus eorum ſententiam, qui originem Electorum adeo recentem faciunt, ut tale illorum collegium, quale in Aurea Bulla confirmatur, nunquam ante Carolum IV. extitiſſe, contendant. Hac praecipue a ceteris, qui in iſto argumento elaborarunt, ſe diſtinxit MICHAEL BEVTHERVS *in Animaduerſ. Hiſtor. cap. 13.* ubi, tametſi, Ducis Saxoniae, Marchionis Brandenburgenſis aliorumque Officialium ſuffragia iam ſub Sueuicis Imperatoribus memorari, largitur, ceteros tamen principes non deteriore conditione fuiſſe, affirmat: nunquam uero ante Carolum IV, ſecundum iſtam ſeriem familiarum ac ordinis ſeptem Electorum ſimul apud hiſtoricos mentionem fieri, nec fieri potuiſſe, cum rex Bohemiae ſub Carolo IV. demum acceſſerit, et ſeptenarium abſoluerit. Ei praeter ceteros conſentit MATTHAEVS DRESSERVS, cuius in *Iſag. Hiſtor. Parte V. de praecipuis Germaniae urbibus pag. 101.* uerba haec ſunt: Cum familiae, ex quibus Imperator legebatur, „ mutarentur, Otho III. Imperator ius eligendi ad ſolos „ Germaniae proceres, excluſis Gallis et Italis, adſtrin- „ xit, ut nulli nationi, niſi Germanicae, liceret e ſua „ gente Imperatorem deſignare. Cum autem nullo „ certo numero ante et poſt Othonem Electores definiti „ eſſent, Carolus IV. Imperator, etiam Electorum nu- „ merum certum conſtituit, ut ſtudia cupiditatesque „ honorum ex omni parte praeciderentur. Imitatus „

 eſt

„eſt in hoc genere ſine dubio Perſicae Monarchiae con-„ſuetudinem, et ut in ea ſeptem Principes fuere, e qui-„bus Rex deſignatus eſt: ſic Carolus IV. etiam ex omni „numero Principum Imperii ſeptem elegit, qui Impera-„torem deinceps crearent, et eiusdem moderatores et „quaſi materies ſiue radix eſſent, ex qua ille prodiret.

§. 19. Prouocant, ut alia nunc taceam, inprimis ad Comitia in quibus, iam poſt electum Carolum IV, Guntherus Comes Schwarzenburgicus Rex Romanorum renunciatus eſt. Ad haec enim alios quoque Principes praeter Officiales admiſſos fuiſſe, *Nauclerus Generat. 46. fol. 255.* his uerbis teſtatur: *Eodem anno Guntherus Comes de Schwartzenburg ex Thuringia, uir ſtrenuus et bellicoſus, qui plures conflictus proſpere abſoluit, a principibus Carolo contrariis, ut ſe intromittat de regno, rogatus, renuit. Tandem eo pacto annuit, ſi in Francofordia daretur ſententia a principibus, regnum uacare. Conuenientibus igitur Francofordiae quatuor ex Electoribus et multis proceribus, datur ſententia ab his, imperium uacare.* Sed ne hanc quidem rationem multum ponderis habere, facile animaduertet, qui conſiderauerit, reliquos Principes ideo tantum ad comitia illa conuocatos fuiſſe, ut, Imperium uacare, declararent, ac Gunthero eligendo metum omnem turbarum, quas pro Carolo IV. contra eum excitare potuiſſent, adimerent. Tantum uero abeſt, ut propterea ſimul eligendi poteſtatem habuerint, ut Nauclerus h. l. diſerte teſtetur, hanc ſolis Electoribus fuiſſe relictam. Nam poſt illa: *datur ſententia ab his Imperium uacare*, ſtatim addit: *et eisdem quatuor* (ſcilicet Electoribus, qui Carolo IV. aduerſabantur, nominatim Henrico Archiepiſcopo Moguntino, Ludouico Marchio-

ni Brandenburgico, Rudolpho Comiti Palatino Rheni et Henrico iuniori Duci Saxoniae) *ius eligendi competere.*

§. 20. Sed ex inſtituto Beutherum confutat *Petrus Heigius in Quaeſt. Iuris Part. I. Quaeſt. III, §. 42. ſeqq. et §. 62. ſeqq.* Argumenta eius praecipua haec ſunt; 1.) Quod ipſe Carolus IV. ad antiquam conſuetudinem prouocet, nec ſe nouam eligendi rationem introducere, ſed ueterem tantum confirmare, oſtendat. 2.) Quod, niſi iam ante VII. Electores iura ſuffragiorum ſoli uſurpaſſent, ceteri principes non paſſuri fuiſſent, ea ſibi, noua lege ſcripta, uno impetu auferri. 3.) Quod ſeptem Electores ſcriptoribus Caroli IV. imperio et aurea Bulla, quam A. 1356. promulgatam eſſe conſtat, multo antiquioribus commemorantur. Nam huc ipſi referuntur a) omnes, qui iam ſeculo XIII, aut ſub initium XIVti originem huius Collegii ad Ottonem III. uel Gregorium V. retulerunt, ſupra, cap. II. §. 1. adducti, ut *Auguſtinus Triumphus, Marſilius Patauinus, Lupoldus Babenbergius*, reliqui. b) Qui praeter hos iisdem temporibus Electorum mentionem fecerunt, ut *Albertus Stadenſis, Martinus Polonus, et Autor Speculi Saxonici* locis et uerbis Cap. I. §. 3. et Cap. II, §. 3. allatis. 4.) Quod ſpeciatim *Lupoldus Babenbergius de Iure Regni et Imperii c. 6.* non modo electionem a ſolis Electoribus nomine totius populi factam, ſed et electionum decreta condita eſſe, teſtetur, quorum formas ipſe uiderit, *Rudolphi, Adolphi* et *Alberti* Regum temporibus conſcriptas. Multis aliis, iisque clarioribus teſtimoniis et argumentis id refutari poterat, infra a nobis Capite ult. proferendis.

CAP. IV.

EORVM IVDICIA COMPLECTENS, QVI ORIGINEM ELECTORVM A NVLLA PRORSVS CONSTITVTIONE, SED A CONSVETVDINE DEDVCVNT, PER AVREAM BVLLAM CONFIRMATA.

§. I.

QVemadmodum prima de Origine Electorum ſententia Cap. II. expoſita omnium fere antiquorum ſcriptorum communis erat, ita recentiores ultimam hanc non minori conſenſione amplectuntur, et, ius illud electionis ante Carolum IV. ſola conſuetudine ad Septemuiros delatum, non niſi per Auream Bullam uim ſcriptae legis obtinuiſſe, aſſeuerant. Quorum maximo ex numero praecipuos tantum, quorum libri nunc forte in manus incidunt, ut DOMINICVM ARVMAEVM in Diſcurſibus Acad. ad Aur. Bullam, Diſc. III, §. 6. et Cap. II. de Comitiis Imper. §. 12. ARNISAEVM in Relect. Polit. Lib. II, c. 6. Sect. 5. n. 62. IO. LIMNAEVM Iur. Publ. L. III, cap. 1, n. 7. BENEDICTVM CARPZOVIVM Comment. in Legem Regiam Germanorum Cap. X, Sect. V, §. 10. ſeqq. IO. STRAVCHIVM Diſſert. Exot. II, HERM. CONRINGIVM in Exercit. de Septemuiris §. 31. et Not. ad Lampad. P. III, cap. 4. n. 1, 2. IO. PALATIVM in Aquila Sax. Lib. XIV. cap. 3. p. 235. OTTONEM MENKENIVM in Diſſ. de Origine Electorum §. XXII. GABR. SCHVVEDERVM Introd. in Ius Publ. P. Spec. Sect. II, cap. 2. §. 3. H. G. THVLEMARIVM Octouir. Cap. VII. §. 33. GOD. GV. LEIBNIZIVM in prae-

praefat. Cod. Iuris Gent. Diplom. p. 12. ſeqq. nominaſſe hoc loco ſuffecerit.

§. 2. Communes fere horum rationes ſunt, quod 1.) ipſa Aurea Bulla ad conſuetudinem prouocat, ut *Cap. I. §. 1.* „Quotiescunque futuris temporibus neceſſitas ſiue caſus electionis Regis Romanorum in Imperatorem promouendi emerſerit, et *Principes Electores, iuxta laudabilem conſuetudinem* habuerint proficiſci etc. *Cap. II, §. 5.* Et quia *de antiqua approbata et laudabili conſuetudine* inconuulſe quam immutabiliter ſemper hactenus extitit obſeruatum: ideoque et nos conſtituimus, et de Imperialis decernimus plenitudine poteſtatis, quod is, qui modo praemiſſo in regem fuerit Romanum electus, peracta ſtatim electione huiusmodi, priusquam in aliquibus cauſis ſiue negotiis uirtute Sacr. Imperii adminiſtret, uniuerſis ac ſingulis Principibus Electoribus Eccleſiaſticis et ſecularibus, qui propinquiora S. Imperii membra eſſe noſcuntur, omnia ipſorum priuilegia, literas, iura, libertates, conceſſiones, antiquas conſuetudines et etiam dignitates confirmare et approbare, debeat. *C. IV. §. 3.* Moguntinus Archiepiſcopus primo iubetur interrogare a Treuirenſi Archiepiſcopo, cui primam uocem competere declaramus, *ſicut inuenimus hactenus competiiſſe. Cap. V, §. 3.* Et quamuis Imperator ſuper cauſis, pro quibus impeditus fuerit, habeat, *ſicut et conſuetudine introductum dicitur*, coram Comite Palatino Rheni, Sacri Imperii Archidapifero Electore, Principe reſpondere etc. *Item Cap. VIII.* cum ſit a tempore, cuius contrarii hodie non exiſtit memoria, *conſuetudine laudabili inconuulſe ſeruata, diuturnitate temporum*

„*porum*, *et praeſcripta moribus utentium*, ſine contradi-
„ctionis aut interruptionis obſtaculo, introductum - - -
„ideoque priuilegium, *conſuetudinem et indultum* huius-
„modi, auctoritate Imperiali ex certa ſcientia innouantes
„et etiam confirmantes etc. 2.) Quod reliqui Principes, quibus olim ius eligendi Imperatorem commune erat, non conceſſuri fuiſſent, hoc noua aliqua conſtitutione ſibi eripi. Multo autem ueriſimilius eſſe, Electores illud ſenſim paulatimque ad ſe traduxiſſe. Aequioribus quippe animis homines iſta uia quaedam, quam expreſſa lege ſibi adimi patiuntur. Nec enim initia percipiuntur, et non niſi conuerſione ſecuta, ſentiuntur, ut iudicat *Bodinus Lib. II. de Rep. c. 6.* 3.) Quod iam ante Auream Bullam Innocentius IV. Pontifex Sec. XIII. eligendi poteſtatem *de iure et antiqua conſuetudine* ad Principes illos pertinere, ſcribat, loco ſupra Cap. II, §. 3. allato.

§. 3. Ceterum auctores iſti, qui originem Collegii Electoralis a ueteri conſuetudine repetendam eſſe, cenſent, non uno nomine inter ſe ipſos diſcrepant, et partim quidem de *tempore*, inter ſe diſſentiunt, quo conſuetudo illa introducta, aut primum animaduerſa fuerit, partim de *occaſione*, qua potiſſimum inualuerit, partim denique de *cauſis*, quamobrem tanta poteſtas nec ad plures paucioresue quam *ſeptem* Principes, et ad has ſpeciatim, non autem alias familias ſedesque peruenerit.

§. 4. De *tempore* introductae huius conſuetudinis indagando, non deſunt, qui prorſus deſperent, in eoque etiam ab aliis operam perdi, exiſtiment, propterea
quod

quod tenuibus et clandeſtinis illa initiis creuerit, atque adeo ne quidem a ceteris Principibus, nedum ab hominibus quibusque plebeiis, qui res illius aetatis memoriae prodiderunt, ſtatim animaduerti potuerit. Atenimuero ſi uel maxime reliqui Proceres, incommoda ex ſeparatis Septemuirorum Comitiis ſibi naſcitura non proſpexerint, res ipſa certe in totius Germaniae conſpectu geſta adeo celari non potuit, ut omnium ſcriptorum notitiam effugeret. Cumque praeterea praeſtet aliquo tenus progredi, quam doctam ſtatim ignorantiam profiteri, aut cum imperitis Phyſicis ad occultas qualitates confugere, operae omnino pretium iudicamus, quid uiri eruditi in hac etiam parte peruestigarint, indicare. Qui conſuetudinem hanc ad recentiſſima tempora referunt, eam poſt mortem Friderici II. inter infauſtas illas interregni Germanici turbas, exortam fuiſſe, exiſtimant. Ita *Conringius*, quem inſtar omnium nominamus, in *Exercit. de Septemuiris* §. *XXXI. Vnde*, inquit, *concludimus: Cum Friderico II. mortuo perturbatiſſimus eſſet Germaniae ſtatus, et durante interregno multorum annorum, rempublicam fere nemo curaret, ceteris uel ob imbecillitatem, uel ob negligentiam iura ſua non ſatis tuentibus (ut ſane ex illo tempore ordinum pauci habuerunt curam totius Imperii, donec Maximilianus I. inſtituit illam in Circulos diuiſionem et Cameram Spirenſem) hos* (Officiales) *ut potentiores ſibi ſolis id iuris ſumpſiſſe.* Conf. inprimis *Schwederus loco cit. Leibnizius* autem, uiuo adhuc Friderico II, *Electorale munus formam aliquam cepiſſe*, exiſtimat, et paulo ante *lineamenta eius aliqua imperfecta ducta fuiſſe*, concedit. In eadem ſententia fuiſſe uidetur Illuſtris auctor, qui ſub nomine *Friderici Leutholfi de*

H *Fran-*

Frankeyberg edidit die groſſe Schaubühne der itztregierenden Welt / opus ex recondita doctrina et iuris publici notitia profectum, quando p. 128. ſcribit, Officialium auctoritatem plurimum in electione Imperatoris ualuiſſe, donec ſub Friderico II. et poſt huius initium, eam ſibi ſolis uindicarint. Ipſa eius uerba haec ſunt: Dabey aber wohl zu mercken / daß die Ertzämter die meiſte Gewalt und kräfftigſten Nachdruck bey ſothaner Wahl gehabt / ſo lange / biß die Kuhr und Wahl unter und nach der Herrſchungs-Zeit Käyſers Friderici II. auf die ſieben mächtigſten Fürſten / als Mäyntz / Trier / Cölln / Böhmen / Pfaltz / Sachſen und Brandenburg gebracht / und durch die güldene Bulle beſtätigt worden.

§. 5. Altius aſcendunt alii, et inter eos fere altisſime, qui usque ad Friderici I. Aenobarbi aetatem perueniunt, eaque morem Septemuiralis electionis iam uiguiſſe, affirmant: quod magna prae ceteris contentione et induſtria probare ſtuduit paulo ante dictus et in hoc argumento magna cum laude uerſatus HENRICVS GVNTERVS THVLEMARIVS, *Cap. VII. Octouirat. §. 31.* Nititur ille potisſimum Diplomate Rudolphi I. Imperatoris An. ∞ CC XC. Erfurti edito, et a *Goldaſto Tom. II. Conſtitut. Imperial. p. 55.* inſerto, quo regi Bohemiae (VVenceslao) iura Pincernatus et Electoratus uel propterea confirmantur, quod eadem longis retro temporibus ataui et abaui eius poſſederint. Verba Imperatoris ſunt: *Haec uero iura Pincernatus et Electoratus nedum dicto regi et ſuis heredibus didicimus competere, ſed etiam ſuis progenitoribus, abauis, atauis, proauis*

nis et auis pure pleniſſime competebant. Volentes itaque dicti regis et heredum eius diſpendiis cauere, ius et officium Pincernatus in Imperio ſibi et heredibus eius, et non alii competere, et in electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, habere ius et uocem clare recognoſcimus, approbamus, et praeſentium teſtimonio profitemur. Si quid autem diminutionis uel calumniae ſubdole poſſit opponi, ſupplemus de plenitudine Regiae poteſtatis.* Iam uero abauus VVenceslai II, cui hoc priuilegium renouatur, fuit Vlatislaus, aliis Vratislaus aut Bretislaus dictus, Friderici I. Imperatoris aequalis, de quo *Dubrauius in Hiſtor. Boh. L. XII. p. 109.* ſcribit: *Caeſarem porro Germani Fridericum, Conradi ex Friderico fratre nepotem, cui Aenobarbo cognomen - - - in comitiis Francofurti habitis declararunt,* Vratislao inter primos Electores *ei ſuffragante*, tanquam affini ſuo, et praeterea tanta amicitia et familiaritate coniuncto, ut prima in Italiam profectione, uicarium eum Imperii in Germania reliquerit. Huc ex *Gewoldi Comm. de Septemuir. cap. VI.* accedunt uerba, quibus idem Imperator in proſcriptione Henrici Leonis, Ducis Saxoniae et Boioariae uſus eſſe dicitur: *ab eo illiusque generationis hominibus auferimus* ius eligendi Caeſarem, *qua laudis praerogatiua ipſe ac pater eius ſplendidus extitit.* Vt et illa, quibus *priuilegium hoc* in Bernardum Anhaltinum transtulit: *in Bernardum nobis ac Imperio fidelem Principem conferimus tractum Saxonicum ac* munus Electoratium, *quae Henrico priori poſſeſſori, omni iure poſtulante, abiudicauimus, et te iſtis gratiis et iuribus ſublimamus, ob tua fidelia ſeruitia.*

§. 6. *Occaſionem* introductae huiusmodi conſue-

tudi-

tudinis illi, qui initium eius in magnum Germaniae interregnum conferunt, ab huius ipſius corruptisſimo ſtatu deducunt. Cum enim in tanta rerum perturbatione, quisque de ſuis potius, quam publicis commodis laboraret, et reliqui Principes uel ob imbecillitatem, uel ob negligentiam, iura ſua non ſatis tuerentur, imo ſponte iis, turbarum pertaeſi, cederent, Septemuiros Officiales, ut potentiores ſibi ſolis electionem uindicaſſe, exiſtimant, quod uel ex *Conringii* uerbis paulo ante citatis apparet. Quin et curiam Romanam, addunt, ſuis in hoc negotio utilitatibus non defuiſſe, et quoniam eius intererat, ut ius eligendi Imperatorem ad paucos, facilius quippe in partes trahendos reſtringeretur, ſparſa de Septemuiris ab Ottone III. aut Gregorio V. inſtitutis, fabula, cui praeſertim, pro ruditate ac credulitate ſeculi, ab omnibus fides adhibebatur, Officialium conſilio ſuccurriſſe.

§. 7. Sed ex altiori rem repetit *Celeb. Leibnizius*, et, quid primos natales, quid progreſſum et incrementa iuris Electoralis adiuuerit, aut confirmarit, ordine et per diſtinctos gradus demonſtrat. Cum ſcilicet antiquioribus temporibus electio regis et Imperatoris omnium ordinum ac procerum Germanicorum communis eſſet, *primo* ſcrupuloſiorem quandam eligendi rationem, una cum proceſſu iudiciorum et multis aliis, ab Eccleſia ad Imperium, et ex iure Canonico in ciuile ſeu publicum tranſiiſſe. Vt enim Canoniſtae neminem rite aut legitime electum iudicabant, ſi non iuridica quaedam promulgatio, quam *formalem electionem* dixeris, ab uno uel paucis pro omnibus peracta, toti

toti negotio quaſi colophonem impoſuerat, ita et Imperatorem, etſi omnium ſuffragiis iam deſignatum, nihilominus a certorum quorundam eorundemque honoratiſſimorum ac potentiſſimorum Principum auctoritate confirmandum, et ſolenniori quodam ritu proclamandum fuiſſe. Iacto ita particularis cuiusdam electionis fundamento, progreſſu *deinde* temporis rem eo ſenſim eſſe deductam, ut formalis illa electio *materialem*, quam ita cum Leibnizio appellare liceat, hoc eſt communia reliquorum procerum ſuffragia, non modo praeponderaret, uerum etiam excluderet, atque adeo ſolennes illi quondam Nominatores et publici conſenſus interpretes ſoli deinceps pro Electoribus ſe gererent et agnoſcerentur. Ad iſtam uero alteram confuſionem non parum momenti ex eius ſententia attulit 1.) Friderici II. ſtudium, filiorum electionem ſemel iterumque procurantis, facilius utique per pauciores, quam per omnes. 2.) Interregnum, quod ſaepe diximus, Germanicum, eo potiſſimum nomine, quod rebus adeo exulceratis, plerique aut uitandae inuidiae cauſa, aut priuatae utilitatis cura impediti, a publicis negotiis ſe remouerent, nec quisquam fere praeter Officiales, qui honeſte abeſſe non poterant, in Comitiis Imperatoriis compareret. Ita ergo, quod quaſi oneris loco ab illis relictum fuerat, poſtea, immutata temporum ratione, tanquam priuilegium ab his retentum eſt.

§. 8. Cur *ſeptem* ſpeciatim Electores conſtituti fuerint, uariae a diuerſis auctoribus cauſae aut coniecturae afferuntur. Ob perfectionem huius numeri id factum eſſe, ſuſpicantur ONVPHR. PANVINIVS *de*

 Comi-

Digitized by Google

Comitiis Imper. ANDR. KNICHEN *de Saxon. non prouoc. iur. V. Electorum Cap. I, n. 307.* ANTON. COLER. *de Iur. Imper. Germ. Sect. 44.* Quibus uero non immerito obiicitur, eodem iure ad tres, quatuor, uel decem dignitatem illam potuiſſe deferri, cum conſtet, numeris his non minorem ab aliis uim atque perfectionem adſcribi: praeterea quicquid de efficacia iſta uulgo traditur, argutius, quam naturae rei conuenientius a quibusdam eſſe excogitatum. Non uideri autem ueriſimile, Imperium Romano Germanicum, in tam illuſtri Collegio conſtituendo, ad illos, neſcio quos, otioſorum ingeniorum luſus reſpexiſſe.

§. 9. Nec deſunt, qui numero hoc ueteris regni Perſici rationem et conſuetudinem expreſſam fuiſſe, putant, in quo ſcilicet pariter ſeptem principes ſumma auctoritate praediti proximum a rege locum una cum eligendi iure tenuerint, ut ex *Herodoti Lib. III, cap. 70. Iuſtini Lib. I, cap. 9, 10.* aliisque locis colligitur. Eſt haec coniectura inprimis CASP. PEVCERI *in Chron. loc. cit.* et MATTH. DRESSERI, cuius uerba ſupra §. attulimus. Sed ei non plus, quam antecedenti tribuit *Io. Limnaeus Iur. Publ. Lib. III, cap. 1, §. 31.* quod Germanis nullum adeo arctum cum Perſis tanto terrarum ſpatio disiunctis commercium interceſſerit, ut eorum potiſſimum mores in conſtituenda republica ſua imitandi occaſionem ſumpſiſſe uideantur. Imo quod ne probari quidem poſſit, VII. illos Perſarum principes plenam eligendi regis poteſtatem habuiſſe, cum conſtet, poſt progeniem Cyri extinctam, ad Darium forte et equi hinnitu regnum perueniſſe. Accedit, quod ſtatus hodier-

in

Digitized by Google

ni regni Perſici, aut qualis poſt Ottonum Imperatorum tempora fuit, ex Herodoto aut ſimilibus ſcriptoribus antiquis diiudicari non debeat.

§. 10. Maiorem ueritatis ſpeciem, aut plus certe ingenii prae ſe ferre uidetur ſententia ab ONVPHRIO PANVINIO et CASPARO PEVCERO inter alias coniecturas primum propoſita, a SCHARDIO autem, ARVMAEO, CARPZOVIO, LEIBNIZIO locis citatis, reliquis omnibus praelata, ſcilicet tot Laicos in illuſtriſſimum hoc collegium receptos fuiſſe, quot ordines antea eligendi Imperatoris poteſtatem habuerint. Cum ergo haec penes Reges, Duces, Marchiones et Comites fuerit, ex ſingulis unum aliquem ius iſtud retinuiſſe, ne ullus de eo ſibi erepto conqueri poſſet. Ordinis porro Eccleſiaſtici tantam eo tempore fuiſſe opinionem, ut nullum alicuius momenti negotium publicum ſine eo confici poſſe crederetur, ſed tum demum omnia feliciter euentura putarentur, ſi illius auctoritate fuiſſent comprobata. Cum proinde parum huius dignitati conſultum uideretur, ſi unus tantum Archiepiſcopus in conſilium eligendi Imperatoris adhiberetur, duo autem, ob euitandam ſuffragiorum paritatem, adhiberi non poſſent, tertium neceſſario fuiſſe adiungendum.

§. 11. Obiicit quidem *Limnaeus*, ita ordinem Nobilium et ciuitatum nihilominus fuiſſe excluſum, et de erepto ſibi eligendo iure conqueri potuiſſe. Sed reſpondet *Carpzouius de Lege Reg. Cap. X, Sect. V, num. 37*, penes ciuitates et Nobiles nullum olim fuiſſe ius eligendi,

gendi, adeoque nec iis ullam praeteritionis querelam competere poſſe.. Et ſane, tametſi negari non poſſit, Nobiles et ciuitatum iudices, ſiue legatos Comitiis Imperatoriis olim interfuiſſe, quod praecipue *Chr. Lehmannus in Chron. Spar. L. V, cap. 27. p. 362.* ex inſtituto demonſtrat, tamen potius aſſentiendi et approbandi, quam eligendi partes ſuſtinuerunt, imo has etiam tandem amiſerunt, ut ſequiorum temporum electiones declarant.

§. 12. Contra totam uero ſententiam hanc praeter ea argumenta, quae ex Cap. II. et III. facile hic repeti poſſunt, duo potiſſimum ab aliis proferuntur. Primum eſt, quod conſuetudo ab Aurea Bulla toties memorata, ad quam praecipue defenſores illius prouocant, legem ſcriptam non excludat, ſed potius ſequatur. Vid. *Io. Henr. Boecleri Notitia S. R. Imperii pag. 86.* Deinde *Freinsheimius in Diatriba III. de Electorum et Cardinalium Praecedentia §. 39. et Lampadius de Republica Romano-German. P. III, cap. 4. §. 2.* naturam conſuetudinis et praeſcriptionis urgent, ex qua ſcilicet nemo niſi poſt diuturnam moram et uſurpationem ius ſibi acquirere poſſit. Iam uero in electione Imperatoris mutationem adeo repentinam accidiſſe, ut, cum Fridericus II. pariter ac filii eius communibus omnium ſuffragiis Imperium obtinuiſſent, illo nondum defuncto, Vilelmus a Septemuiris eligeretur. Haec quid ponderis aut momenti habeant, aliis in praeſenti diiudicandum relinquo, qui meam de uniuerſo hoc argumento ſententiam capite ſequenti ex inſtituto exponam.

CAP. V.

Digitized by Google

CAP. V.

VERAM DE ORIGINE ELECTORUM SENTENTIAM COMPLECTENS.

§. 1.

CUm ſuperiores de Origine Electorum commentationes inſtituerem, nihil quidem aliud mihi propoſitum erat, quam hiſtoriam huius tam celebris controuerſiae exponere, et diuerſas de ea opiniones una cum argumentis in utramque partem prolatis ita inter ſe comparare, ut ipſe prudens lector uera a falſis facile diſcernere poſſet. Sed quoniam hoc ſcribendi genus, exemplo licet eruditiſſimorum uirorum ſuſceptum, pleriſque taedioſum, imo iis, qui aut omnia certo definiri uolunt, aut ſingula perlegere atque examinare grauantur, tantum non prorſus inutile ac ſuperuacaneum uideri ſolet, ea, quae in excutiendis tam uariis ſcriptis iudiciis ac teſtimoniis mihi in mentem uenerunt, tecum L. B. communicanda putaui. Quemadmodum uero ſententiam meam nemini obtrudo, ita ipſe eam, ſi ueriora edoctus fuero, deſerere non recuſabo, et uel hoc laboris mei fructu contentus ero, ſi doctioribus de nobiliſſimo hoc argumento, quod profecto, pro ſua dignitate et pro ſeculi noſtri in hoc ſtudiorum genere tantopere elaborantis conditione, adhuc nondum ſatis excuſſum aut ad liquidum perductum eſt, amplius cogitandi occaſionem dedero. Illud autem perſancte teſtor, quod, ſi quicquam nec opinanti exciderit, quod demiſſiſſimae erga illuſtriſſimum hoc collegium pietati ac uenerationi ulla ratione aduerſari uideatur, illud pro non dicto ex irrito haberi uelim.

§. 2. Anceps ſane ac dubiae plenum opus aleae eſſe, fateor, in tantis obſcuritatibus et ſententiarum diuortiis,

inter tot quaſi ſcopulos et anfractus ſine offenſione progredi, aut euitatis, quae; omni ex parte obiiciuntur, difficultatibus, ad ueritatem tam profunde latentem penetrare. Diu tamen multumque ea de re cogitanti filum quaſi quoddam Ariadnaeum mihi oblatum uidetur, cuius ope ductuque non tantum origo Electorum paulo altius inueſtigari, ſed et plerique omnes ſcriptores, quorum de ea diſſentiones ſuperioribus capitibus expoſitae ſunt, quodammodo inter ſe conciliari poſſint. Eſt hoc utilisſima illa diſtinctio inter Electores *ſolitarios* ſiue ſtrictiſſimo ſenſu ita dictos, et inter *Electores primarios* ſiue latiori ſenſu acceptos ſupra Cap. 1. §. 3. expoſita, ex qua neglecta, aut non ſatis recte explicata plerasque in hoc argumento diſſenſiones ortas fuiſſe, mihi perſuaſum eſt. Scilicet pro certo et explorato hic ſumimus, quod ex teſtimoniis paulo poſt proferendis clariſſime patebit, ius eligendi Imperatorem non repentina aliqua mutatione, uno eodemque tempore ab uniuerſis Germaniae Principibus ad ſeptemuiros Officiales publico quodam decreto fuiſſe reſtrictum, ſed certis quaſi gradibus ſenſim paulatimque ad eos tranſiiſſe. Ex quo igitur iſti hoc totum, ceteris omnibus Principibus excluſis, ſoli tenuerunt, eos *Electores ſolitarios* ſ. ſtricte et proprie dictos appellamus: quandiu uero illud aliquo ſaltem modo cum reliquis commune habuerunt, iisque uel nominandi uel confirmandi Imperatoris poteſtatem reliquerunt, eos communes et latiori ſenſu ſic dictos nobis uocare liceat. Operae omnino pretium eſt, utrorumque originem ſeparatim indagare, ut argumenta, quae uel ad horum antiquitatem uel ad illorum nouitatem demonſtrandam pertinent, et perperam uulgo inter ſe confundi ſolent, recte diſtinguantur, atque adeo inutilibus diſputationibus et obiectionibus anſa praecidatur. Quod ſi uel maxime

ipſum

Digitized by Google

ipſum temporis articulum, in quem poſteriorum origo incidat, acu tangere, in tanta obſcuritate, non licuerit, tamen, quo tempore priores coeperint, euidenter ſatis, ut ſpero, demonſtrabitur. In illa interim perueſtiganda eo usque ſaltem progredi iuuabit, quo ueſtigia in euoluenda Imperatorum hiſtoria nobis nunc feſtinantibus occurrentia deduxerint. Plura enim et euidentiora de ea indagandi gloriam aliis libenter relinquemus.

SECTIO I.

DE

Origine Electorum Solitariorum.

§. 3. VT a recentioribus temporibus, tanquam multo minori diſſenſioni obnoxiis, exorſi, ad antiquiora regrediamur, *primum* extra controuerſiam poſitum eſſe, exiſtimamus, quod A. ∞ CCC LVI. a Carolo IV. Imperatore per Auream Bullam *Electores ſolitarii ac ſtricte ſic dicti* fuerint confirmati. Nam praeterquam quod ſolis VIIuiris, nominatim Archiepiſcopo Moguntino, Archiepiſcopo Colonienſi, Archiepiſcopo Treuirenſi, Regi Bohemiae, Comiti Palatino Rheni, Duci Saxoniae et Marchioni Brandenburgenſi ius ſuffragii de eligendo nouo Imperatore ferendi in ea tribuatur, *Cap. IV. §. 2. & 3.* nec ullis aliis de tuto ad comitia Imperatoria comeatu caueatur *cap. I. §. 2. ſeq.* reliquis Ordinibus et Principibus ne praeſentia quidem in iſtis conceditur, imo urbem Francofurtenſem celebrandae electionis tempore ingrediendi facultas *Cap. I. §. 22.* his uerbis diſerte denegatur: *Ciues inſuper ante dicti de Franckenford, per omne tempus illud, quo ſuper electione ſaepe dicta tractari et agi contigerit, neminem in*

 prae-

praſatam ciuitatem, cuiuscunque dignitatis, conditionis uel ſtatus extiterit, intromittant, uel intrare quouis modo permittant: Principibus Electoribus, et eorum nunciis et procuratoribus ante dictis duntaxat exceptis: quorum quilibet cum ducentis equis debebit, ut praedicitur, intromitti. Si uero poſt ipſorum Principum Electorum introitum, ſeu in ipſorum praeſentia, in praefata ciuitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum ciues ipſi debebunt absque mora et cum effectu protinus ordinare, ſub omnibus poenis contra ipſos ſuperius promulgatis, ac etiam in uirtute iuramenti, quod ciues ipſi de Franckenford ſuper eo, uirtute praeſentis conſtitutionis, praeſtare debebunt ad ſancta, ut in praecedentibus eſt expreſſum. Vnde adeo ab hoc tempore nullus unquam ſe uel in conſortium huius priuilegii offerre auſus eſt, ſi ſolos fortaſſe Archi-Duces Auſtriae exceperis, pro quibus et ipſis tamen fruſtra id petiit Maximilianus I. Imperator, ut teſtatur Hartmannus Maurus, *Relat. Coronat. Caroli V.* apud Goldaſt. *Part. III. Polit. Imp. p. 274.* Conf. Marqu. Freherus *ad Pet. de Andlo Cap. I. Lib. II. p. 163.* et Limnaeus *Jur. Publ. T. I. Lib. III. c. I. §. 41.*

§. 4. Sed et iam ante Auream Bullam a ſolis VIIuiris Imperatores fuiſſe electos, haec ipſa haud obſcure innuit, quando, ſe non noua conſtituere, ſed ueterem tantum conſuetudinem ſtabilire, paſſim oſtendit. Quin eosdem Electores *ex antiquo* ad electionem a Moguntino Archiepiſcopo conuocatos fuiſſe, *cap. IV. §. 2.* his ipſis uerbis teſtatur: *Moguntinus poteſtatem habebit, ſicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur* ex antiquo, *ceteros Principes antedictos, ſuos in dicta electione conſortes literatorie conuocandi*, et *§. 3.* idem Treuirenſem Archiepiſcopum primum iubetur rogare ſententiam, propter morem antea receptum. Verba legis haec ſunt: *Primo quidem interrogabit a Trevirenſi Archiepiſcopo, cui primam vocem competere,*

decla-

declaramus, ſicut inuenimus hactenus competiiſſe. Conf. loca iam ſupra *Cap. IV. §. 1.* ex eadem recitata.

§. 5. Merito hinc colligas, non aliam eligendi rationem a CAROLO IV. Imperatore confirmari, quam qua ipſe olim imperium obtinuerat. Henricus certe Rebdorf. et Albertus Argentinenſis, qui illa aetate floruerunt, ac res eius diligentiſſime memoriae prodiderunt, in deſcriptione comitiorum, quibus ille electus fuit, nullos niſi ordinarios Electores commemorant. Prior *in Annal. ad Anno 1346.* apud Freher. *Tom. I. pag. 436. Procurante*, inquit, *Domino Clemente Papa VI. Karolus filius Regis Bohemiae ſupra nominatus a* quinque Electoribus regni, *uidelicet a Dominis* Baldwino Archiepiſcopo Treuirenſi, Waltwino Archiepiſcopo Colonienſi, Blatero, *ratione Comitum de Naſſau, quem tunc idem Papa prouiderat ad Eccleſiam* Moguntinenſem, *depoſito prius Hainrico Archiepiſcopo ſupra nominato*, et Ioanne Rege Böemiae *patre ipſius*, et a Rudolpho Duce Saxoniae *ſupra nominato, in odium praedicti Ludwici, in regem Romanorum eſt electus, in uilla Rentze Trevirenſis Diœceſis, menſe Iulio, circa feſtum B. Margarethae: de cuius potentia & adhaeſione multorum Principum ante electionem praedictam fuit fama ſolennis. Sed poſtea Ludwico ſtatim deſcendenti ad Rhenum omnes ciuitates Rheni & pro maiore parte Domini temporales (exceptis* Electoribus *ſupra nominatis) promiſerunt ei adhaerere, et in nullo aduertere regem novum.* Poſterior *in Chronico ad e. a.* apud Vrſtiſium *p. 135.* in eandem ſententiam ſcribit: *Poſthaec, prouiſus Moguntinus de Naſſoue ad uillam Renſs ſuper Rhenum ad feriam quartam poſt Margaretae, ſub anno Domini MCCCXLVI. ad eligendum regem Principes conuocauit. Vbi conuenientes* Balduinus de Luzelberg Treuirenſis, Vualderamus de Iuliaco Colonienſis epiſcopi, item Gerlacus de Naſſouue nouiter prouiſus Moguntinenſis archiepiſcopi, item Rudol-

I 3 phus

phus Dux Saxoniae, et Ioannes rex Bohemiae, *et*, *imperium diu uacaſſe*, *decernentes*, *praedictum Carolum Marchionem Morauiae in regem elegerunt Romanum*, *pro quo praedicti Colonienſis & Dux Saxoniae magna pecunia ſunt corrupti. in Chron. apud* Vrſtiſ. *p. 135.* quod iisdem fere uerbis repetunt Nauclerus *Vol. II. Gen. 45. f. 252.* Cuſpinianus *de Caeſar. in Ludov. IV.* alii. Sed nemo ineptius illa exſcripſit, quam Huld. Mutius, qui cum de ſingulis Epiſcopis locum natiuitatis et habitationis ab Alberto notatum legeret, duos ex uno, e. g. ex Balduino de Lützelburg Treuirenſi, *Archiepiſcopos Lutzenburgenſem et Treuirenſem*, ex reliquis *multos alios Eccleſiaſticos praelatos* excudit. En ipſa eius uerba: *Conueniunt archiepiſcopi* *Lucenburgenſis*, *Treuirenſis*, *Colonienſis*, *Moguntinenſis et* *multi alii eccleſiaſtici praelati.* *Veniunt quoque Rudolphus Dux Saxoniae*, *Ioannes rex Boemiae*, *et alii. Illi vero*, *quos iam dixi*, *in Rens*, *ex impulſu et auctoritate Papae*, *elegerunt alium Imperatorem filium regis Boemiae*, *Carolum*, *Morauiae Marchionem. in Germ. Chron. Lib. XXIV. p. 242.* Sed illi *alii Praelati et Principes* non ſecus ac archiepiſcopus Lucenburgenſis, in cerebro Mutii nati ſunt, nec cuiquam alii probato ſcriptori memorantur. Quod omnino monendum duxi, ne quis, eiusmodi teſtimoniis deceptus, circulos hiſtoriae turbet, aut longe aliam, quam reipſa obtinuit, eligendi Imperatoris rationem temporibus illis adſcribat.

§. 6. Neque ab aliis, quam Electoribus ſtricte ſic dictis electi ſunt EDUARDUS ANGLUS, FRIDERICUS MISNENSIS et GUNTHERVS SCHWARZBVRGICVS, quos poſt mortem Ludouici IV. Carolus ſibi oppoſitos uidit. De EDVARDI electione Albertus Argentinenſis *in Chron. p. 144. edit. Vrſtiſ. Poſthaec*, ait, *rex* (Carolus) *iuit Moguntiam. - - - Vbi ad eum uenerunt Balduinus Treuirenſis quaſi latenter cum paucis*, *ubi et noua receperunt*, *quod feria V. praecedenti*, *ſcilicet proxima poſt Epiphaniam Domini A. 1348.* *pro-*

procuratores et ſecretarii Ludouici, *Marchionis de Brandenburg*, *item Ducum Palatinorum Rheni*, *Erici Ducis Saxoniae*, *et Henrici Archiepiſcopi Moguntini*, *tanquam Electores principes maiorem partem facientes*, *in Eduardum regem Angliae habentem cum eis procuratorem et ſecretarium ſuum in Romanorum regem*, *ex oppoſito uillae Rens ſuper Rhenum*, *ſub caſtro Lonſtein concordauerunt eligendum: de hoc quoque confectae ſub ſigillis eorundem Principum literae in praeſentia omnium praelegebantur.* Nec aliter horum comitiorum rationem exponit Nauclerus *Vol. II. Generat. 45. f. 254.* *Anno* inquiens, *M CCC XLVIII. feria quinta ante Epiphaniam Domini*, *Henricus*, *Archiepiſcopus Moguntinus*, *Ludovicus Marchio Brandenburgenſis*, *Rupertus Palatinus et Dux Saxoniae*, *qui Rudolpho de nouo ſucceſſit*, *concordarunt de eligendo rege*, *electionem Caroli irritam iudicantes*, *miſſisque ſolennibus nunciis Eduardum Angliae regem ad imperium inuitabant. Sed ipſe eam electionem recuſauit*, *gratias referens.* Vides hic nullos niſi ordinarios Electores VIIuiros electionis negotio occupatos, nominatim Moguntinum, Palatinum, Saxonem, Brandenburgicum, qui Eduardum regem Romanorum deſignabant, Treuirenſis enim et Colonienſis Carolo, ipſi Bohemiae regi fauebant. Add. Rebdorf. *Annal. p. 436.*

§. 7. Iidem prorſus regnum ab Eduardo recuſatum ad FRIDERICUM MISNENSEM detulerunt, quod Albertus *l. c. pag. 145.* his uerbis confirmat: *Ecce Henricus Moguntinus*, *Ludouicus Marchio Brandenburgenſis*, *Rupertus Palatinus*, *cui in hoc duo alii conſenſerant*, *et Ericus Dux Saxoniae*, *cui ex ſucceſſione patris ſui ſenioris Rudolphi Ducis ius eligendi competere dicebatur*, *quamuis Rudolphus Caroli Elector quaedam dominia*, *quibus principatum annexum aſſerit*,

rit, ſe habere praetendat, de eligendo rege alio, cum electionem Caroli irritam aſſerant, concordarunt. Et quibusdam interiectis: *iidem* Principes Electores, *uocato Friderico, Marchione Miſſenenſi, abnepote quondam Friderici Imperatoris ex filia eius, genero praedicti Ludouici Principis defuncti, in principio menſis Iunii in Kans Bauariae conuenerunt, ubi inter eos actum eſt, quod idem Marchio praedictam Beatricem, olim Imperatricem in uxorem duceret, et de Romano regno ad eorum electionem intromittere ſe deberet.* Conf. Nauclerus l. c. et Auentinus *Ann. Boic. Lib. VII. p. 487.*

§. 8. In Gvntheri Schwarzbvrgici electione illud inprimis memorabile eſt, quod non tantum a ſolis Electoribus facta, ſed et a reliquis Germaniae Proceribus iisdem adiudicata fuerit, manifeſto indicio, quod ab his iam prorſus fuerit derelicta. Teſtem citamus Albertum, quem ſaepe diximus, Argentinenſem, *in Chron. ſuo p. 159.* comitia illa his uerbis deſcribentem: *Guntherus comes de Schwarzenburg Thuringenſis, aetatis circiter XLV. annorum, uir robuſtus, bellicoſus, ſtrenuus et prudens in bellis, a principibus Carolo contrariis, ut ſe intromitteret de regno, rogatus, primo renuens, tandem eo pacto annuit, ſi in Franckfurt per principes et nobiles ſententiatum fuerit, uacare regnum et Imperium, maiorque pars principum, qui ſimiliter per ſententiam declarati fuerint ius habere, ipſum absque omni Simonia elegerint, propter Deum, dicens, ſe expoſiturum periculis pro Deo et imperio corpus ſuum. Hoc facto, cum exercitu ſuo ſe poſuit in campo iuxta Franckfurt feria VI. poſt Hilarii anno M CCC XLIX, conuenientibusque inibi Principibus IV. et multis aliis Baronibus, et per ſententiam detectam, Imperium uacare, et eisdem* quatuor competere ius eligendi, *electus eſt in purificatione per Hainricum archiepiſcopum* Moguntinum, *Ludouicum Marchionem de* Brandenburg, *Rudolphum* de Bauaria Palatinum

tinum Rheni, annuente Ruperto fratre ſuo, et capto tum Ruperto fratrueli eorum, et Ericum Ducem Saxoniae. *Huic enim Erico, tanquam filio fratris ſenioris Rudolphi ducis, electoris Caroli decernebatur ius eligendi habere.* Haec more ſuo, fere ad uerbum exſcripſit Io. Nauclerus *Gen. XLVI. ſub init.* Conſentit etiam Henricus Rebdorf. *in Ann. ad A. 1348. p. 445. ed. Freher. Anno*, inquiens, *III. regni Caroli, menſe Februarii, Guntherus comes de Schwartzenburg in Thuringia, in odium Caroli, per aliquos Electores regni, uidelicet Hainricum depoſitum archiepiſcopum Moguntinum, Ludouicum Marchionem Brandenburgenſem, Rudolphum et Rupertum fratres, Duces Bauariae et Comites Palatinos Rheni, nec non quendam Ducem Saxoniae, patruelem Rudolphi praenominati Ducis Saxoniae, in regem Romanonum in Franckfurt eligitur.* Et ipſe Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, qui comitiis illis aut praefuit, aut certe interfuit, uel primo loco propterea nominandus, in literis Anno MCCXLIX ſcriptis, quibus ciuitates quasdam de electione Guntheri certiores facit, his uerbis utitur: *Conuenientibus nobiscum, qui etiam habuerunt plenum et ſufficiens mandatum illuſtrium Principum Dominorum Erici ſenioris et Erici iunioris, Dominorum Saxoniae, cum ſigillis eorum ſigillatim competentibus, et ad hoc ſpecialiter congregatis noſtris Coëlectoribus Dominis Rudolpho et Ruperto comitibus Palatinis Rheni, fratribus, Ducibus Bauariae etc.* Vide illas in Notis ad Spalatini Chronicon apud Hortlederum von Urſachen des teutſchen Krieges lib. IV, c. 23. Addo tandem, quae Alb. Cranzius *Saxon.* Lib. IX, c. 26. de eadem electione prodidit: *Comes Palatinus, cum electionem illam* (Caroli IV.) *improbaret, uocatis ad electionem nouam cunctis Electoribus, et nullo archiepiſcoporum comparente, quum nec Bohemiae rex, nec Dux Saxoniae Rudolphus adeſſe curarent, ipſe Palatinus, euocato Ludouico mar-*

chione Brandenburgenſi, et Erico duce inferioris Saxoniae, elegerunt hi tres Guntherum comitem de Schwartzenborg regem Romanorum. Vbi dum nonniſi trium Electorum Cranzius mentionem facit, eorum ſine dubio opinionem ſequitur, qui Henricum Moguntinum a Pontifice Rom. proſcriptum pro legitimo Electore non agnouerunt.

§. 9. Ex his omnibus teſtimoniis apparet, 1) id, quod ſupra diximus, reliquos principes publico ueluti teſtimonio faſſos eſſe, ius eligendi ad ſe non pertinere. 2) Guntherum, etſi non omnium, tamen plerorumque Electorum ſuffragiis, cum ceteri Caroli partes ſequerentur, fuiſſe electum, et quidem eorundem, quos Aurea Bulla deinde confirmauit, ſcilicet Moguntini, Palatini, Saxonis ac Brandenburgici. 3) Etſi alii quoque principes Francofurtum conuenerunt, eos tamen nullas in eligendo partes ſuſtinuiſſe, ſed prorſus extra ordinem ante electionem conuocatos fuiſſe, ut Guntherus eorum animos a Carolo alienos, et in ſe propenſos perſpiceret, atque adeo rebellionis metu liberatus, ad imperium, quod alias recuſabat, ſuſcipiendum adduceretur. Unde etiam Auentinus comitia haec Imperatoria IV. illis Electoribus ſolis tribuit: *Ibi*, inquiens, ſcilicet Francofurti, *Henricus Moguntinus archimyſta, Rudolphus praefectus praetorio Rheni, Ludovicus Brandenburgenſis, reguli Boiorum, Dux Saxoniae comitia Caeſarea habent, Guntherum Schwartzenburgium Caeſarem conſtituunt. Ann. Boi. L. VII. p. 487.* Add. *Hiſtoria Landgraf. Thuringiae* a Piſtorio ed. *Tom I. p. 941.*

§. 10. Dices fortaſſe, ex ipſo Alberti teſtimonio patere, quod nondum eo tempore certi Electores fuerint, utpote qui per reliquos Proceres in comitiis Francofurtenſibus demum deſignandi et iure electionis quaſi muniendi fuerint. Sed uehementer erraret, qui haec ita acciperet aut interpretaretur. Nam primo antecedentium Impera-

peratorum electiones ſeqq. §. §. deſcribendae ſatis oſtendunt, de numero pariter ac ſedibus ſ. familiis Electorum iam diu ante declarationem illam comitiorum Francofurtenſium conſtitiſſe. Deinde obſeruandum eſt, declaratione hac non propter diſſenſiones uniuerſales, ſed ſpeciales, et certarum familiarum Electoralium proprias, opus fuiſſe. Scilicet, extra controuerſiam ponebatur, ius electionis ſpectare ad comites Palatinos, Duces Saxoniae et Marchiones Brandenburgicos. Sed nondum, ut poſtea per *A. B. Cap. VII, §. 2.* conſtitutum erat, utrum hereditas eius, defuncto aliquo Electore, ad filium, an ad fratrem, aut alium agnatum in familia Electorali natu maximum, aut denique ad plures ſimul alterna uice pertineret. Exempla huiusmodi diſſenſionum praecipue inter duces Saxoniae et Comites Palatinos obuia ſunt. Leg. praeter *Albertum* l. c. Auentinus, *L. VII. p. 477.* Nauclerus *Gener. XLIV, f. 246.* Nic. Burgundus *Hiſt. Bau. L. I. p. 16.* Imo interdum electionis ius a pluribus eiusdem familiae aut ſimul, aut alterna uice exercebatur, quod ex progreſſu huius hiſtoriae paſſim conſtabit. Conf. Cranzius *Saxon. Lib. XI, cap. 20.* Has ergo diſſenſiones ante omnia, Guntherus componi cupiebat, ut liquido ſcilicet conſtaret, ſe legitimorum Electorum ſuffragiis imperium obtinuiſſe. Tantum igitur abeſt, ut iſtae contentiones iuribus Electorum quicquam detrahant, ut potius inſigne pro iis praebeant argumentum, eaque propria, non communia fuiſſe, manifeſto demonſtrent.

§. 11. Ante turbulentam hanc Caroli et aduerſariorum eius electionem multo acrior de principatu contentio inter LVDOVICVM BAVARVM et FRIDERICVM AVSTRIACVM interceſſerat: cuius hiſtoria, cum non minus luculenta ſtrictisſimi iuris Electorum ueſtigia contineat, paucis hic, quoad praeſens inſtitutum re-

 ſpi-

ſpicit, repetenda eſt. Atque, ut de poſteriori primum dicamus, FRIDERICVS, cum ſemel imperium ſpe deuoraſſet, poſt Henricum Luzelburgicum nefario ſcelere ſublatum, nihil, ut illo potiretur, intentatum relinquebat. Neque uero ullos alios Principes, praeter VIluiros Electores, ab eo prenſatos aut ad ſuffragandum ſollicitatos fuiſſe, legimus. *Palatinum, Saxonem et Brandenburgicum* partim iure cognationis, partim muneribus ſibi adiungebat: *Colonienſem* oſtentatione affinitatis in partes trahebat, dum Henrico fratri ſuo, illius ex fratre neptem deſponſabat. Sed regem *Bohemiae* pariter ac *Moguntinum* et *Treuirenſem* Archiepiſcopos, quibus alii ipſum quoque Marchionem Brandenburgicum addunt, cum maxime uellet, ad uoluntatem ſuam perducere non potuit. En tibi uerba, quae iſtud confirmant, praecipui horum temporum ſcriptoris, Alberti Argentinenſis ex Vrſtiſii Tomo II. Hiſtoricorum Germaniae p. 118. repetita: *Mortuo itaque Henrico Imperatore, et uocatis Principibus in Francfurt, Fridericus dux Auſtriae, filius Alberti regis, et nepos Rudolphi regis pro regno laborauit. Cui* Treuerenſis, Moguntinus, *olim epiſcopus Baſileenſis, quem Albertus rex laeſerat, et* Iohannes Bohemus *ſe opponunt. Fridericus autem Auſtralis alloquitur Rudolphum et Ludouicum duces Bauariae,* Palatinos Rheni, *exhibens ſe ad aſſiſtendum eis. At illi aeſtimantes, ſe tanto negotio impotentes, ſe Friderici ſeruitio adſtrinxerunt.* Dux *quoque* Saxoniae *et Voldemarus,* Marchio Brandenburgenſis *Friderico adhaeſerunt. Hi enim Laici omnes et uxor Bohemi fuerunt quondam regis Rudolphi nepotes. Item Hainricus de Virnenberg* Colonienſis *inter alios tractatus fecit, quod filia fratris ſui, comitis de Virnenberg copulata fuit Hainrico duci Auſtriae, fratri Friderici. Et ſic ſimiliter adhaeſit eidem. Veniente autem*

tem

tem Friderico cum forti exercitu, et caſtra metante iuxta Francfurt apud Saxenhauſen, Petrus Moguntinus naves afferens uictualia iuxta Moguntiam abſtulit Friderico. Exercitus autem Moguntini, Treuirenſis et Bohemi ſe ex inferiore parte Moguntiae collocauit. Nec denique ab aliis Fridericus, quam ab Electoribus VIIuiris, et ſpeciatim quidem illis, quos diximus, ut Ludouicus a reliquis, electus et inauguratus eſt : quod paulo poſt ſequentia apud Albertum uerba oſtendunt : *Electi igitur ſunt in diſcordia in die B. Lucae Euangeliſtae, Anno Domini 1314 Fridericus Dux Auſtriae ab epiſcopo Colonienſi, a Rudolpho Bavaro Palatino Rheni, Duce Saxoniae: Ludouicus autem a Petro Moguntino, Waldemaro Treuirenſi, Voldemaro Marchione et Ioanne Bohemo. Ludouicus itaque Aquisgrani a Moguntino et Treuirenſi in loco, quo debuit, ſed non a quibus debuit: Fridericus uero in Bunna a Colonienſi, a quo debuit, ſed non in loco, in quo debuit, coronati ſunt.* Conſentit Rebdorf. *in Annalibus ad ann. 1314, p. 421.* electionem Friderici his uerbis deſcribens : *Ex oppoſito et in diſcordia Fridericus, filius ſenior Alberti quondam regis Romanorum ſupra dicti, dux Auſtriae ſimiliter eſt electus in regem Romanorum per minorem partem Electorum Imperii, uidelicet per Hainricum, Archiepiſcopum Colonienſem, et Rudolphum fratrem praedicti Ludwici, comitem Palatinum Rheni et Ducem ſuperioris Bauariae, et per Ducem Saxoniae nomine Rudolphum in oppido Bunnenſi Colonienſis Dioeceſis, et coronatus ibidem.* Add. *Appendix Annal.* Steronis *ad a. 1313.* Dubrauius *Hiſt. Boh. L. XX. p. 189.* Nauclerus *Gen. XLIV, f. 246.* Nic. Burgundus *Hiſt. Bau. L. I. p. 5. ſeqq.*

§. 12 Sed ut ad LVDOVICVM BAVARVM, qui ſuperior tandem Friderico imperium ſibi aſſeruit, reuertamur, eandem rationem fuiſſe comitiorum, quibus ille contra Auſtriacum electus fuit, uel ea ipſa, quae antec. §. ex Alberto Argentinenſi protulimus, ſatis declarant.

Vt tamen eo euidentius pateat, nullum alium Principem praeter VIIuiros Electores in illis uel nominandi, uel eligendi, uel confirmandi, uel ullas denique alias partes ſuſtinuiſſe, atque adeo plenam totamque imperii deferendi poteſtatem penes ſolos VIIuiros fuiſſe, ſingula paulo diligentius conſiderabimus. *Primum* igitur nullos alios, quam Electores ordinarios a Moguntino ad comitia *uocatos* uel admiſſos fuiſſe, Nauclerus *Gen. XLIV. 246.* his uerbis confirmat: *Eodem anno (1314) uacante Imperio, ex morte Imperatoris Henrici, Petrus Moguntinenſis archiepiſcopus uocauit Electores Balduinum Treuerenſem, Henricum Colonienſem archiepiſcopos, Ioannem regem Bohemiae, (ſunt, qui Henricum Carinthiae ducem pro Boëmo affuiſſe, dicant) Rudolphum ducem Saxoniae, Volcomarum marchionem Brandenburgenſem, Rudolphum ducem Bauariae et comitem Palatinum.*

§. 13. Quod ſi Naucleri auctoritas non ſufficit, prouocamus ad ipſum electionis diploma, quod integrum infra dabimus, ubi Archiepiſcopus Moguntinus: *Ego*, inquit, *Petrus, Archiepiſcopus Moguntinus, ex officii mei debito ipſam diem ad electionem bujusmodi celebrandam praefixi literis meis uocationis ipſis conprincipibus et coëlectoribus meis.* Eosdem ſcilicet VIIuiros diuerſa ratione conſideratos et conprincipes et coëlectores uocat, quod uel ipſa huius diplomatis accuratior inſpectio demonſtrat, ut errent proinde, qui ex his uerbis praeter Electores, alios quoque principes conuocatos fuiſſe, colligunt. Imo potius diſerte reliqui excluduntur, quando pergit: *Nos Archiepiſcopus Moguntinus uice noſtra ac omnium ibidem praeſentium,* (hos autem praeſentes nullos niſi Electores fuiſſe, antecedentia et conſequentia oſtendunt, quibus ſingulornm nomina exprimuntur) *in ſcriptis monitionem legimus, et proteſtationem quandam vice noſtra ac omnium ibidem praeſentium ius in ipſa electione regis Romanorum habentium, mo-*

nendo

nendo omnes - - - - et ſi qui forent forſitan inter eos, qui de iure uel conſuetudine intereſſe in ipſius negotio electionis non deberent, quod NB. a tractatibus electionis celebrandae faturae regis Romanorum et ab eadem electione recederent (uides, non tantum ab ipſa electione, ſed et a praeconſultatione de futura electione reliquos principes remoueri) *proteſtando, quod non eſſet noſtra uel coëlectorum noſtrorum intentio tales admittere, tanquam ius in illa electione habentes, ac procedere uel eligere cum iisdem.* Porro *ius totale eligendi* una cum ſingulis actibus olim a ſe inuicem diuiſis, ut *praeconſultatione, nominatione, confirmatione* ſoli Electores in eodem diplomate his uerbis ſibi uindicant: *Nos Electores praedicti in loco praedicto praeſentes,* ius totale *ea uice* in electione dicti regis habentes, *conſenſimus concorditer in eundem Ludouicum, et ipſum* nominauimus, *quilibet noſtrum pro ſe, nullo penitus diſcrepante, in Romanorum regem eligendum.* Et paulo ante: *Quo die ueniente, in ſuburbio oppidi regalis Franckenfordenſium, loco ſcilicet ad hoc ſolito et conſueto, nobis,* Petro Moguntinenſi, Balduino Treuirenſi Archiepiſcopis, Ioanne Bohemiae et Poloniae rege, Waldemaro Marchione Brandenburgenſi, ac Ioanne duce Saxoniae ſupra dictis *ibidem conuenientibus, celebrata ſancti Spiritus miſſa,* deliberatione prouida praehabita, *ad procedendum in electionis negotio praelibato etc.* Quod denique confirmatio etiam ſiue approbatio electionis factae non niſi Electorum fuerit, ipſa renunciationis formula infra proferenda his uerbis confirmat: *Electione autem huiusmodi peracta, eam omnes et ſinguli Electores praedicti praeſentes* approbauimus - - - *et deinde electionem ipſi clero et populo ſolenniter fecimus publicari.*

§. 14. Antequam a Ludouici electione diſcedamus, difficultas quaedam ſoluenda eſt, quae cum ſententiae noſtrae hactenus aſſertae uidetur obſtare, tum recentioribus

bus quibusdam ſcriptoribus, qui interiora huius hiſtoriae monumenta non ſatis cognita habuerunt, errandi occaſionem praebuit. Scilicet praeter Electores ordinarios, Petrum Archiepiſcopum Moguntium, Balduinum Treuirenſem, Ioannem regem Bohemiae, et Voldemari Marchionis Brandenburgici legatum, qui Ludouico Bauaro, Henricum item Archiepiſcopum Colonienſem, Rudolphum Comitem Palatinum et Rudolphum Saxonem, qui Friderico ſuffragati ſunt, etiam Ioannes, Dux Saxoniae in diplomate paulo ante citato comitiis Imperatoriis per procuratorem ſiue legatum interfuiſſe, ac *de iure poteſtatem eligendi Romanorum regem in Imperatorem poſtmodum promouendum habuiſſe*, imo exercuiſſe legitur. Ex quo conſequi uidetur, aut octo eo tempore Electores ordinarios fuiſſe, quod nemo dixerit, aut alios etiam Principes praeter VIIuiros eligendi ius habuiſſe. Atenim hic repetenda ſunt, quae ſupra §. 10. monuimus de controuerſiis, quae ante Auream Bullam de ſucceſſione in Electoratu ſeculari inter diuerſos eiusdem familiae Principes intercedere ſolebant. Nam poſt mortem Alberti II. Ducis atque Electoris Saxoniae Rudolphus filius, et Ioannes frater illius de eo inter ſe diſſidebant. Ille, ut primogenitus, natiuitatis, hic, tanquam ſenior familiae, aetatis iure nitebatur. Etſi igitur Ioannes, ſi Aureae Bullae iudicio rem committamus, cauſa inferior, imo duobus comitiis Electoralibus iam tum repulſus erat, tamen hoc tempore, odio Rudolphi, legitimi alioquin Electoris, ſed diuerſas partes ſecuti et largitione Auſtriaca corrupti, admittebatur. Ita ex *Volkmari*, Antiſtitis Furſtenfeldenſis et Conſiliarii Bauarici, ſub finem ipſius anni 1314. quo haec geſta ſunt, defuncti *Annalibus* tradit *Nic. Burgundus in Hiſt. Bau. L. I. p. 10.*

§. 15.

§. 15. Hinc Ludouicum, *quinque* Electorum ſuffragia tuliſſe, ſcribunt Auentinus *Ann. Boi. Lib. VII, p. 461*, Bernardinus Corius *in Hiſt. Mediol. P. II. ad Ann. 1313.* Hieron. Megiſerus *P. I. Carintb. f. 936.* alii, quos quidem propterea celeb. D. Buddeus *Diſſert. de Ludouico Bauaro* in erroris ſuſpicionem uocat, et ſpeciatim Auentinum plus in eo amori erga patriam, quam ueritati tribuiſſe, opinatur. Sed nihil falſi hic ab iis traditum fuiſſe, ipſum *diploma electionis* ſupra laudatum confirmat, in cuius inſcriptione ſingulorum Electorum nomina leguntur, ſpeciatim quoque Ioannis Saxonis, cum titulo Ducis Saxoniae *Senioris*, ut uel hinc intelligas, ex quo capite ius eligendi ſibi uindicarit. Scilicet *ſe, dicebat, eſſe in electione, non fratrem ſuum* (ſiue fratris defuncti filium) *ſeniorem*, ut eſt apud Steronis continuatorem *ad a. 1313.* Hanc cauſam eſſe, exiſtimo, quamobrem in ſequentibus diplomatis uerbis, cum Electores diuerſarum partium recenſentur, omiſſo Rudolpho Saxone, quem Friderico ſuffragatum eſſe, conſtat, tantum Colonienſis et Palatini mentio iniiciatur. Ceterum Monachus Rebdorfenſis, Dubrauius, Nauclerus, Serarius et alii, qui quatuor tantum Electores in comitiis illis agnoſcunt, ut minoris in hoc argumento auctoritatis ſunt, ita potius, quid iuris, quam, quid factum fuerit, reſpexiſſe uidentur.

§. 16. Poſtquam deinde Ludouicus in imperio confirmatus, cum Pontificibus Romanis dimicare coepit, hae ipſae controuerſiae ad aſſerenda et illuſtranda Electorum iura non parum momenti attulerunt. Ea enim occaſione comitia Electoralia (Churfürſten Tage/ ut diſerte uocantur *Lehmanno in Chron. Spir. L. V. c. 17. p. 659.*) h. t. celebrata deprehendimus, in quibus ſoli VIIuiri conſilia de ſalute et dignitate imperii tuenda conferebant. Teſtantur id inprimis uerba ſenatusconſulti A. 1338. in comitiis

Renſenſibus facti, quod Auentinus *Lib. VII. p. 477.* ex eoque Goldaſtus *Tom. III. Conſtit. Imper. p. 409.* ita recenſent: *Anno Chriſtianae libertatis MCCCXXXVIII. ſexto die Iulii, hora VI, Benedicti XII. Pont. Max. anno IV. in pomario uici Rhenoſei, in ripa Rheni amnis, ubi fere ſeptemuiri Caeſareani electores conuenire, atque de ſummis imperii rebus colloqui ſolent, Hainricus Moguntinus, Valentinus Agrippinenſis, Balduinus Treuerorum archimyſta, Rudolphus, Ruperti duo, et Stephanus praefecti praetorio Rheni, cum nondum decretum foret, quisnam eorum comitiis Caeſareis ſuffragium ferret: Rudolphus Dux Saxoniae, Ludouicus Brandenburgenſis limitis praefectus, item alii plerique omnes ſacroſancti Imperii clientes et optimates - - - hanc rogationem iuſſerunt, ſciuerunt, decreuerunt, uoluerunt, promulgarunt, perpetuo ſanxerunt.* Erat autem decretum, in quo haud obſcura iuris Electoralis ueſtigia deprehendas, huiusmodi: *Sacroſanctum imperium ſumma in terris poteſtas, coeleſte donum eſt - - - - Iure ſuffragiorum et beneficio Electorum atque populi quisque imperat. Haec ueriſſima eſſe, convenit inter omnes annalium rerum humanarum diuinarumque peritos etc.* Conf. omnino epiſtola horum Electorum ad Benedictum XII Pontificem miſſa, ab Henrico Rebdorf. *in Annal.* apud Freherum *Tom. I. p. 427.* ſeruata, ex iisque ab Abr. Bzouio *Annalibus Eccleſ. ad h. a. col. 795.* et nouiſſime a Leibnizio *Codici Iuris Gent. Diplomatico num. LXXVII, p. 149.* inſerta, quae ita incipit: *Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Benedicto Papae: Veſtri deuoti filii, Henricus Dei gratia Archiepiſcopus Moguntinus, Electorum Principum Decanus, nec non per Germaniam Sacri Imperii Archicancellarius: Balduinus, Archiepiſcopus Treuirenſis, Cancellarius Galliae, Walramus Archiepiſcopus Colonienſis, Cancellarius Italiae: Waldomarus Marchio Brandenburgenſis, Camerarius: Rudolphus Palatinus, Dapifer: Rudolphus Dux Saxoniae, Portitor enſis, Romanorum regis et coronandi Imperatoris legi-*

Digitized by Google

legitimi Electores etc. Idem illud decretum Renſenſe paulo poſt A. 1339. Francofurti in comitiis totius Imperii uniuerſalibus hunc in modum confirmatum eſt: *ut Electores imperii, et nullus alius, Regem Romanorum eligant: cuique plura accedunt Principum* (Electorum) *ſuffragia, is etiam in diſcordia uerus cenſeatur electus ſiue Rex ſiue Imperator, etc.* apud Goldaſtum *Conſtit. Imper. Tom. III, p. 411.* Quid quod denuo illud poſt mortem Ludouici Bauari, auſpicio Guntheri Schwarzenburgici Imperatoris in aliis comitiis Francofurtenſibus his uerbis repetitum ac renouatum eſt: *Cum praedeceſſor noſter, Dominus Ludouicus felicis recordationis Romanorum Imperator, legem condiderit, in qua decreuit, electum in Francofurt in regem Romanorum, a Principibus Electoribus, aut maiori eorum parte, adminiſtrationem Imperii ante confirmationem Papalem habere plenam et omnimodam, Nos, habito Principum noſtrorum conſilio, tam ſpiritualium, quam ſecularium, poſt electionem noſtram ab omni Clero et populo probatam et confirmatam, eandem legem hoc edicto noſtro in perpetuum ualiturο renouamus et ratificamus etc.* apud Goldaſtum *l. c. p. 414.*

§. 17. Taceo, iisdem temporibus Electores et reliquos Principes Imperii diſerte ſibi inuicem opponi, et tanquam diuerſos commemorari. Nam in decreto a Minoritis contra Pontificem Romanum conſcripto et in comitiis Francofurtenſibus promulgato, quod ex Mutii *Lib. XXIV. Chron. Germ.* repetit Lehmannus *Chron. Spir. L. VII. c. 14. p. 659.* aduerſae partis ſocii uiolaſſe dicuntur *iura Imperatorum, Electorum, et aliorum Principum et Imperii fidelium*, et paulo poſt: *de conſilio et conſenſu Electorum; et aliorum Principum Imperii declaratur, quod Imperialis dignitas et poteſtas eſt immediate a ſolo Deo etc. Conf. Cap. XVIII. p. 6.*

§. 18. In HENRICI LVZENBVRGICI electione deſcribenda Albertus Argentinenſis VIIuirorum quidem mentionem expreſſam non facit, ſed generatim

tantum, eum *in feſto omnium Sanctorum a principibus concorditer in Franckfurt electum, et Aquisgrani in ſequenti anno in Epiphania coronatam eſſe,* ſcribit *Chron. p. 115.* Interim tamen per hos ipſos principes, a quibus concorditer electus eſſe dicitur, non omnes promiſcue, ſed certos tantum, et ipſos quidem Electores ordinarios intelligendos eſſe, oſtendit Henricus Monachus Rebdorf. in Annal. ad Ann. 1309. his uerbis uſus: *Heinricus Imperator VII. coepit regnare, electus concorditer in Regem Romanorum ab* ELECTORIBVS IMPERII, *et regnauit quatuor annis.* Conſentit Conradus Vecerius *de rebus geſtis Henrici VII. Imperatoris*, apud Vrſtiſ. *P. II. Hiſtoricorum Germ. p. 66. Anno,* inquiens *MCCCVIII. rege Romanorum Alberto per inſidias occiſo, nunciatum eſt, Principes, quorum legendi Caeſaris ius eſt, de ſufficiendo Imperatore parum conuenturos eſſe, Philippus, diſcordiam Germanorum coeptis ſuis optime conducturam, exiſtimans, ſecretiorum conſiliorum arbitros coire iuſſos de noua diſpoſitione interrogat etc.* Et clarius, poſtquam electionem ipſam Henrici VII expoſuerat, p. 67. pergens: *Luzeburgius, qui nihil minus, quam Caeſarea gubernacula ſibi credenda cogitarat, omnium primum gratias immortali Deo Electoribusque agendas cenſuit.* His plane congruunt Naucleri de eadem electione uerba *Vol. II. Generat. XLIV. f. 244. Interfecto Alberto, ſecundum Chronicam Florentinam anno MCCCVIII, Electores Imperii erant in magna altercatione de eligendo. Rex autem Philippus, audita Imperii uacatione, cogitauit, quomodo id ad ſe reduceret. Hoc ſentiens Carolus Cardinalis, ſuaſit Pontifici, ut ſine mora ſignificetur Electoribus, quod procedant ad electionem. Placuit conſilium Pontifici, et ſimul cum Cardinali nominauit etiam Electoribus comitem de Luxenburg, uirum magnanimum, - - - et miſſis literis, Electoribusque redditis. poſtquam applicuit nuncius, intra octo dies congregati Principes in Rens, nemine diſcre-*

pan-

pinte, elegerunt in regem Romanorum Henricum, comitem Luzenburgi, qui fuit Henricus VII.

§. 19. Rem prorſus extra controuerſam ponit, et poteſtatem eligendi Imperatoris eo tempore Officialium propriam fuiſſe, luculentisſime demonſtrat pactum de futura electione, poſt caedem Alberti I. Auſtriaci A. 1308. inter Marchionem Brandenburgenſem, Ducem Saxoniae et Comites Palatinos Rheni, tres ſcilicet Electores ſeculares initum, cuius monumentum extat apud Leibnizium in *Codice Juris Gentium Diplomatico Dipl. XXX. p. 50.* Conuenerat ſcilicet, iuxta hoc, inter eos, *ut, quemcunque ex Principibus Ottone et Voldemaro Marchionibus Brandenburgenſibus, nobili uiro Alberto, comite de Hanalt, nec non Illuſtribus Principibus Rudolpho et Ludouico, comitibus Palatinis, et Friderico duce Auſtriae plura uota de principibus Eccleſiaſticis Electoribus habere contigerit, ei omnes* (ſeculares puta Electores) *uotis ſuis adhaererent.* Scilicet tres iſti, cum eo tempore, forſan de nullo minus, quam de Henrico Luzelburgico ad Imperii faſtigium euehendo cogitarent, illud uni inter ſex modo nominatos Principes deſtinabant, huiusque uoti ſe certo compotes fore, perſuaſum habebant, ſi, cui ex his plures Electores Eccleſiaſtici fauerent, eidem ipſi quoque una uoce ſuffragarentur. Fruſtra ſane, ſi omnes Imperii Principes eandem eligendi poteſtatem habuiſſent. Imo ne tum quidem aliquem huius pacti fructum ſibi promittere potuiſſent, ſi Officiales eo tempore, ut olim, nonniſi ex praetaxatione reliquorum Principum regem Germaniae elegiſſent. Ex quo ſane, eligendi facultatem penes eos iam ſolos *priuatiue* fuiſſe, apparet.

§. 20. Neque fruſtra Lehmannus *in Chron. Spir. Lib. VII. c. 11. p. 643.* obſeruat, quod, cum apud antiquiores hiſtoricos totius Imperii ordines in tres claſſes diſtribu-

 an-

Digitized by Google

antur, et ad primam Rex atque Imperator, ad alteram Principes et Comites, ad tertiam ciuitates referantur, Albertus in deſcribendis comitiis Spirenſibus ſub Henrico VII. celebratis, noua quadam diuiſione Electores ſeparatim recenſeat, quando iſta ſcribit: *Manſit ibi rex ſex hebdomadibus cum Principibus Electoribus et aliis principibus et ciuitatum nunciis Chron. pag. 116.*

§. 21. De Alberti I. Auſtriaci electione, quae in annum 1298 incidit, denuo nos dubios et incertos dimittit Albertus Argentinenſis. Nam *p. 110.* eum *a principibus quibusdam quaſi congregatis, regemque* (Adolphum) *tanquam inutilem et reipublicae deſtructorem deſtituentibus, in Romanorum regem electum eſſe*, refert. Et paulo poſt, cum Adolphum anteceſſorem praelio uictum ac trucidatum demonſtraſſet, tragoediam iſtam his uerbis concludit: *Occiſo itaque Adolpho, Albertus Dux Auſtriae, occiſor ab omnibus Principibus eſt electus, et Aquisgrani ſolenniter coronatus.* Ceterum commentarii uicem ad haec recte intelligenda nobis praeſtat *Chronicon Colmarienſe*, expreſſis uerbis declarans, illos *quosdam Principes*, qui iuxta Albertum Argentin. ante caedem Adolphi, Albertum Auſtriacum ipſi ſurrogarunt, fuiſſe Moguntinum, Saxonem et Brandenburgicum: dum uero poſt mortem Adolphi, idem *ab omnibus Principibus* electus dicitur, eo nihil aliud, quam omnium Principum Electorum conſenſum, atque adeo, ut cum philoſophis loquar, uniuerſalitatem reſtrictam, indicari. En ipſa Chronici uerba, ut leguntur *P. II. Hiſtoricorum German. ab Vrſtiſ. ed. p. 56. ſeqq. Quidam ex Principibus Electorum regis, ſcilicet Archiepiſcopus Moguntinus, Dux Saxoniae et Dux de Brandenburc, videntes, quod Adolphus rex Romanorum nollet regnum ſecundum eorum regere uoluntatem, taliter ſibi mutuo loquebantur:* Adolphus rex pauper eſt, in rebus pariter ac amicis: ſtultus eſt:

re-

Digitized by Google

regnum ſub eo breuiter deficiet in diuitiis et honore. *Tum unus eorum dixit :* Neceſſe eſt eius ſolutio procuretur. *Alter dixit :* Mittamus Duci Auſtriae defectus regis, rogantes, ut ad curiam nuncios mittat, literas noſtras cum defectibus regis ſecum deferat - - - dicatur etiam Duci, quod, ut rex noſter efficiatur, omnes in eum pariter conſentimus. *Tertius dixit :* ſanum eſt hoc conſilium, compleatur. *Principes hi Duci Auſtriae uoluntatem ſuam ſubito transmiſerunt. Dux Auſtriae, literis his ac nunciis uiſis, gauiſus eſt ualde.* Additur deinde, comitem Albertum Romam miſſum eſſe, *ut literas* principum Electorum regis, *quas pro regis electione Papae tranſmiſerant, ſigillandas curaret :* hos ipſos autem Electores, cum inſtitutum ſuum Pontifici Romano probari, ex literis eius intellexiſſent, Moguntiae conuentum egiſſe, et ex communi ſententia Imperium in Albertum transtuliſſe. Tribus illis Electoribus, qui ante caedem Adolphi imperium ad Albertum detulerunt, Auentinus legatos regis Boiemiae addit, et tota comitia his uerbis deſcribit: *Moguntinus Pontifex, Saxoniae atque Brandenburgii Praeſides, legati Regis Boiemiae, Regulum Saxonum arbitrum honorarium (quippe Rudolphus Praefectus praetorio Rheni, Rectorque Boiariae, cujus munus eſt ueluti de querimoniis aduerſus Caeſarem delatis cognoſcere, iusque dicere, ſententiam pronunciare, uenire recuſarat) capiunt, tribunali imponunt, Adolphum homicidii, ſtupri in uirginem, ſocordiae, negligentiae, periurii, quod a Francis Occidentalibus intercepta non repeteret, accuſant. Deinde ſenatusconſulto eum in ordinem redigunt, a faſtigio deturbant, remque publicam orbam eſſe, decernunt. Poſtremo ne imperium ſine capite, ſicut corpus ſine anima, contabeſcat, Albertum ſuis ſuffragiis rebus imponunt, Caeſarem deſignant, nuncupant, nonis Kalendis Iuniis declarant. Ann. Boi. Lib. VII. f. 587.* Conf. Goldaſt. *Conſtitut. Imperial. Tom. I. p. 316.*

p. 316. Quod uero nec poſt Adolphum profligatum, alii, quam Electores ordinarii Alberto imperium confirmarint, praeter Chronicon Colmarienſe Henricus Monachus Rebdorfenſis et Henricus Stero diſerte teſtantur. Verba prioris in Annal. ad ann. 1298. haec ſunt: *Albertus primus filius regis Rudolphi ſupradicti, poſt bellum habitum cum Adolpho a Principibus Electoribus Imperii ſtatim immediate electus eſt in regem Romanorum.* Poſterior eandem rem in Annal. ad e. a. ita ediſſerit: *Poſtmodum uero, rege* (Adolpho) *ſepulto, eiusque filio capto, Electores Imperii praefatum Ducem Albertum Auſtriae in regem Romanorum apud Francenfurt unanimiter elegerunt.*

§. 22. Electionem Adolphi Nassovici A. 1292. ab iisdem VIIuiris eodem modo factam eſſe, nullo firmiori argumento, quam ipſorummet teſtimonio probare poſſumus. Nam in eo, quem diximus, conuentu Moguntino, *aſcenderunt in Eccleſiam, facies ſuas uertentes ad altare, manus ſuas eleuarunt, per Deum uiuentem iurauerunt: quod, cum ante ſex annos regnum rege caruerit Romanorum, nos Electores tres ex parte noſtra, et ex parte reliquorum Electorum, qui in nos eligendi uota ſua tranſtulerunt, iure et canonice Adolphum de Naſſowe, tunc non cognoſcentes meliorem, in regem elegimus Romanorum, in Chron. Colm. p. 58, 59.* Conf. Diploma Gebhardi Archiepiſcopi Moguntini, quo, ſe ex conſenſu Coëlectorum reliquorum, non tantum ſuo, ſed et Regis Bohemiae, tanquam legitimi Electoris nomine, ſuffragium pro Adolpho tuliſſe teſtatur, apud Goldaſtum *in Replic. pro Imp. c. XIII. p. 172. ſeq.* Add. Hiſtoria Auſtralis T. I. Freher. *p.* 337, ubi *Electores Principes regni uniformi conſilio et conſenſu Adolphum in regem Romanorum elegiſſe* dicuntur.

§. 23. Prima poſt fatale Germaniae interregnum comitia Imperatoria fuerunt ea, quibus Rudolphus I. Habs-

Habspvrgicvs rerum potitus eſt. Horum ratio cum prae ceteris ab Alberto Argentinenſi et auctore Chronici Colmarienſis diligenter explicata ſit, utriusque teſtimonium integrum hic afferre iuuat. *Itaque Moguntinus*, uerba ſunt Alberti, in *Chron.* apud *Vrſtiſ. P. II. p. 100. feliciter procedens, et proſpere ad Eccleſiam ſuam reuerſus, pro creatione regis principes, quorum intererat, ad oppidum Frankfurt conuocauit - - - Congregatis autem Principibus Electoribus in Frankfurt, rege Bohemiae dempto, et de periculo diutinae uocationis Imperii, et de perditione iuris Principum inter ſe inuicem conquerentibus, ac de perſona eligenda, quae imperio expediret, tractantibus, Moguntinus, Rudolphi comitis de Habspurg magnanimitatem ac ſapientiam commendauit - - - - Colonienſem quoque ac Treuirenſem ad id ipſum inducens. Dux autem Bauariae, qui clarisſimam uxorem ſuam ex patre, duce Brabantiae, et ex matre Hollandiae natam, ob falſam adulterii ſuſpicionem decollaverat, pater poſt Ludouici IV. Principis conuocans Burggrauium de Norinberg praeſentem, qui et ipſius Rudolphi extitit conſobrinus, ait illi: Si Rudolphus prouocaretur, quomodo eſſem ab eius laeſione ſecurus? Habetne aliquam filiam, quam mibi daret in uxorem? Et illo reſpondente, quod Rudolphus ſex haberet filias, & de danda ſibi una ſub omnium bonorum ſuorum hypotheca Duci cauente, Dux annuit Moguntino: quod audientes Dux Saxoniae et Marchio Brandenburgenſis, qui et ipſi non habebant uxores, receptis cautionibus de dandis ſibi Rudolphi filiabus, ſimiliter conſenſerunt, ſicque concorditer eſt electus anno Domini CCLXXIII, XII. Kal. Octoberis. Burggrafius autem de Norinberg, acceptis de electione Principum literis, Baſileam ad Rudolphi exercitum properauit.* Narrationem hanc perſequitur Chronicon Colmarienſe, et, quae poſt factam electionem contigerunt, ad Ann. 1273. *p. 29. edit. Vrſtiſ.* his uerbis exponit: *Anno Domini 1273. uenit in Baſileem nun-*

tius quidam ab Electoribus *miſſus, dicens, ſe allaturum regem omnibus. Hic, cum a Baſilea ad comitem Rudolphum ueniſſet, dixit:* Electores *uobis ſignificant, quod, ſi uolueritis filias ueſtras nuptui dare talibus Dominis, in regem uos eligent Romanorum. Qui reſpondit: haec et quaecunque alia implebo. Tunc literas electionis et confirmationis omnibus patefecit. Rex, his uiſis, ſuis omnibus dixit: pacem cum omnibus habete, et omnes captiuos reſtituite priſtinae libertati. His auditis atque uiſis, Domini inuicem loquebantur: Viuat rex, et poſtea honorem regium ſibi tribuerunt.* His adde omnino diploma Rudolphi I. infra exhibendum, in quo controuerſiam de Electoratu inter Regem Bohemiae et ducem Bauariae ortam Ann: 1275, decidit, et ſimul rationem comitiorum, quibus ipſe electus fuerat, luculenter exponit.

§. 24. Ex his teſtimoniis, ſolos Electores proprie ſic dictos Rudolphum elegiſſe, cuiuis patere, exiſtimo, qui ſequentia ſaltem attendere uoluerit: 1. quod, more hodienum recepto, et per Auream Bullam firmato, Archiepiſcopus Moguntinus, tanquam ordinarius collegii Electoralis Decanus (ut appellatur Sigismundo Imp. apud *Lundorp. Act. publ. T. II. L. I. art. 2. n. 20.* eos conuocarit. 2. quod non proceres quicunque, ſed tantum *Principes Electores*, iuxta Alberti Chronicon edit. Vrſtiſ. congregati fuerint. Nam uitioſe, ut alia multa, in prima et inquinata admodum editione Cuſpiniana legitur: *Principes et Electores.* 3) quod numerus Electorum ſeptenarius adeo ſtricte ſeruatus fuerit, ut *uoces* (ſententiae) *fratrum, Ducum Baueriae Comitum Palatinorum Rheni* (inter quos ſcilicet nondum ſatis de ſucceſſione in Electoratu conueniebat) pro una in *ſeptem Principum ius in electione regis Romanarum habentium computarentur*, quae uerba ſunt ipſius Rudolphi in diplomate paulo ante laudato.

dato. 4. quod ſinguli VIluiri Electores, ſcilicet *Moguntinus*, *Colonienſis*, *Treuirenſis*, *Bohemus*, Bauarus ſiue *Palatinus*, *Saxo et Brandenburgicus* nominatim expreſſi, iis, quibus ius eligendi ſolitarium poſtea in A. B. confirmatum eſt, exacte reſpondeant. 5. quod iidem ſoli totam electionem pro nutu et arbitrio ſuo adminiſtrarint, ita, ut reliquis Principibus nec praeconſultationem ſiue, ut Albertus Stadenſis uocat, praetaxationem, nec confirmationem relinquerent, et ne conſenſum quidem eorum requirerent, imo omnia ad ſuas et priuatas utilitates accommodarent: quod facere profecto non potuiſſent, ſi reliqui etiam principes in conſilium fuiſſent adhibendi. 6. Quod iam tum controuerſiae de Electoratu inter Principes Germaniae ortae fuerint, ut ex diplomate Rudolphi conſtat: id uero fieri profecto non potuiſſet, ſi ius eligendi adhuc omnium fuiſſet commune. 7. quod denique ſolorum Electorum, non totius Imperii, aut omnium ordinum eius nomine et auctoritate, literae electionis ſ. confirmationis ad Rudolphum perlatae fuerint.

§. 25. Atque hoc ipſum *exemplum primum* fuiſſe, quo VIluiri Officiales, more nunquam deinceps mutando, ſoli, hoc eſt, ut *Electores ſtricte ſic dicti*, comitia Imperatoria celebrarunt, et, reliquis Principibus prorſus excluſis, Imperatorem elegerunt, ſequentia potiſſimum argumenta mihi perſuadent: 1. quod proxime antecedens electio Richardi A. 1257. a VIluiris Officialibus, praeuia cum aliis Principibus deliberatione, et ex horum conſenſu atque conſilio facta fuerit. Hoc enim perſpicue docent uerba ipſorummet Electorum, in epiſtola, quam totam infra exhibebimus, Vrbani IV. Pontificis R. ad Richardum electum regem Romanorum repetita, quibus, *ſe cum Praelatis, Ducibus et aliis ibidem praeſentibus, deliberatione praehabita, de ipſorum communi conſilio et aſſenſu*

 ad

Digitized by Google

ad electionem proceſſiſſe, teſtantur. 2. Quod Alphonſus etiam Richardo oppoſitus, aliorum, quam Officialium auctoritate electus fuerit, ut ex his Chronicae Auguſt. uerbis apparet: *Dominus autem Treuirenſis epiſcopus cum aliis quibusdam Principibus conſentire nolens electioni praedictae, in media quadrageſima, fretus literis et auctoritate regis Bohemiae, Ducis Saxoniae, Marchionum de Brandenburg et multorum principum, elegit Dominum Alphonſum regem Hiſpaniae, qui electioni de ſe factae conſenſit, perſuaſus a regibus, et principibus, et amicis. Tom. I. Scriptorum Germ. a Frehero ed. p. 379.* 3. Quod Albertus Stadenſis, quem eodem tempore floruiſſe, conſtat, ut qui Chronicon ſuum ad annum MCCLVI perduxit, rationem comitia Imperatoria celebrandi, et Imperatoris eligendi ſua aetate receptam ad Ann. 1246. ita deſcribit: *Ex praetaxatione Principum et conſenſu eligunt Imperatorem Treuirenſis, Moguntinus et Colonienſis*, reliqua: ubi, Electores late ſic dictos, et iure quidem eligendi praecipuo, non autem ſolitario praeditos deſcribi, manifeſtum eſt. 4. Quod de Henrico Thuringo, decem circiter ante Richardum annis electo dicitur: *Moguntinus, Colonienſis, Treuirenſis cum ceteris epiſcopis, Argentoratenſi, Metenſi, Spirenſi, et aliis elegerunt eum apud Herbipolin*, in fragmento, quod Alberti Argent. Chronico praemittitur *Part. II. Hiſtoricorum Germ.* ab Vrſtiſ. *ed. p. 11.* 5. Quod tempore Friderici II. anno 1240 *Principes quidam* (per quos Officiales intelligo) *a Gregorio Pontifice Rom. ſuper electione alterius Imperatoris ſollicitati, ei reſcripſerunt: non eſſe ſui iuris, Imperatorem ſubſtituere, ſed tantum electum a Principibus* (aliis ſcilicet) *coronare*, ut eſt apud eundem Albertum Stadenſem *l. c.* 6. Quod omnes antiquiores Imperatores ab omnibus Principibus, iis etiam, qui Officiales non erant, nominatim expreſſis, electi fuerint, iuxta teſtimonia *Cap. II. §. 5.* ex inſtituto collecta.

§. 26.

Digitized by Google

§. 26. Quod ſi rationem aut occaſionem requiras, qua Officiales eam ſibi poteſtatem ſumere, et nouo exemplo, inſciis plane ac inconſultis reliquis Principibus, regem Romanorum eligere potuerint, duo potisſimum occurrunt, quorum auxilio eo aſpiraſſe uidentur. *Primum* erat ius illud eligendi praecipuum, quod nobis Electores late ſic dictos conſtituit, Sectione poſteriori huius cap. ex inſtituto deſcribendum. Cum enim per iſtud iamdiu primas in electione partes tenuiſſent, res eo ſenſim rediit, ut tota tandem comitia Imperatoria ſuis quaſi humeris ſuſtinerent. Incrementa huius ſiue iuris ſiue poteſtatis praecipue in tribus electionibus inter Friderici II. et Rudolphi I. tempora interiectis, *Henrici* ſcilicet, *Vilelmi* et *Richardi atque Alphonſi*, ad quos a diuerſis factionibus ſimul Imperium deferebatur, animaduertere licet. Nam tametſi Henrici electioni alios quoque Principes aut proceres regni Germanici interfuiſſe, ex ſupra dictis conſtat, Officiales tamen praecipuas quasdum in ea partes geſſiſſe, uel inde colligas, quod Io. de Beka *Chron. Epiſcoporum Vltraiect. et Comitum Hollandiae, in Ottone III, Epiſc. 36. p. 76.* illam deſcribens, hos ſolos nominat, *Eisdem*, inquiens, *temporibus Fridericus Imperator ab Honorio Papa dudum excommunicatus per Innocentium IV. ab imperiali dignitate deſtitutus eſt, et Landgrafius Turingiae per Officiales Imperii Romanorum rex electus.* Clarius idem ex hiſtoria ſequentis electionis, qua *Vilelmus comes Hollandiae* Ann. 1248. Henrico ſuffectus eſt, perſpicitur, quam ab eodem Io. de Beka l. c. expoſitam his ipſius uerbis repetere iuuat: *Apoſtolicus* (Papa Innocentius IV.) *de generali conſilio fratrum ſuorum, Dominum Petrum Capucium, ad Velum aureum S. Georgii Diaconum Cardinalem delegauit in Germaniam, monens, ut Officiales iterato celebrarent electionem regiam. Electores itaque conuenientes apud pagum Woringiae Colonienſis*

Dioeceſis elegerunt in regem Vilelmum Domicellum Hollandiae, proteſtantes, ipſum potentiorem eſſe principem in regno Germaniae. Fuſius iſta perſequitur Ioannes Trithemius, cuius uerba, etſi paulo longiora, adiungere non grauabimur, ſaltem ut appareat, Officiales illos, quos Beka Electores uocat, ab iis, quibus Aurea Bulla ius eligendi ſolitarium confirmauit, non fuiſſe diuerſos. Ita igitur ille in *Chron. Hirsaug.* ad *Ann. 1250: Mortuo Henrico*, ait, *Vilelmus comes Hollandiae, filius Florentii comitis, apud uillam Wornich a quibusdam Principibus electus fuit contra Fridericum Imperatorem et Conradum filium eius, in praeſentia Petri Cuputii, ad uelum aureum Diaconi Cardinalis, Apoſtolicae ſedis legati - - - - qui etſi coronam Imperii non obtinuit, tamen ſatis magnam obedientiam habuit. Vltima uero die menſis Octobris, regiam ciuitatem Aquisgranum cum magna procerum multitudine intrauit, et ſequenti die, hoc eſt feſto omnium Sanctorum, per duos epiſcopos Mindenſem et Monaſterienſem benedicendum archiepiſcopo (Colonienſi) praeſentatum duo alii epiſcopi Traiectenſis et Leodienſis in modum Diaconi Dalmatica induerunt, quem praefatus archiepiſcopus Conradus cum magna ſolennitate in regem Romanum unxit et coronauit. Conſecratione autem peracta, idem archiepiſcopus locauit eum in ſedem regni, diens:* Super thronum ſedis glorioſae ſedeas, et iudicium et iuſtitiam in terra facias. *Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus cum oleo ſanctificato dexteram eius foris inunxit, dicens:* conſeruare te dignetur omnipotens Deus in regem Romanorum, qui Dauid per manum Samuelis Prophetae inungi iuſſit ſuper populum Hebraeorum. *Arnoldus Archiepiſcopus Treuerorum manus ſuper caput eius impoſuit, dicens:* Deſcendat in te ſpiritus ſapientiae, intelligentiae, ſcientiae, pietatis, fortitudinis

et

et conſilii, replearisque ſpiritu timoris Domini. *Ludouicus comes Palatinus Rheni, archidapifer regni globum aureum in manus illius poſuit, dicens:* Accipe globum ſphaericum, ut omnes terrae nationes Romano imperio ſubiicias, et Auguſtus glorioſus appellari ualeas. *Marchio Brandenburgenſis, Camerariis regis annulum in manum tradidit, dicens:* Accipe ſignaculum Monarchiae, ut Romanum imperium in ſuo uigore conſerues, et inuicta uirtute ab omni barbarorum incurſione defendas. *Dux Saxoniae, regis Enſifer gladium ei dedit, dicens:* Accipe ſceptrum regium, ut rebelles ſeuera correptione potenter affligas, omnesque beneuolos in tranquilla pace gubernes. *Rex autem Bohemiae pincerna Imperii de conſenſu archiepiſcopi Colonienſis, coronam argenteam capiti eius impoſuit, dicens:* Accipe diadema ſplendidum, ut ſis uirtuoſis actibus adeo coruſcus in terris, quatenus merearis coronam aeternae felicitatis habere in coelis, amen. Vides, hic 1. ſolos Officiales a Pontifice Romano ad nouam electionem ſollicitari. 2. Hos non diuerſos fuiſſe ab iis, quibus poſtea Aurea Balla ius eligendi ſolitarium confirmauit. Nominatim enim commemorantur *Colonienſis, Moguntinus et Treuirenſis* Archiepiſcopi, ac praeterea *Rex Bohemiae, comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniae et Marchio Brandenburgenſis.* 3. Hos dici inſtar omnium conueniſſe ad electionem, et eandem peregiſſe, quin et Electorum titulo prae ceteris inſigniri.

§. 27. Anno tandem 1257. quo controuerſia inter Richardum et Alphonſum a diverſis factionibus electos uigebat, Vrbanus IV. in epiſtola ad Richardum paulo ante citata, diſerte, ſeptem Principes ius ſuffragii in electione Imperatoris habuiſſe, oſtendit, dum memorat *conſuetudines circa electionem noui regis Romanorum in Imperatorem*

po-

poſtea promouendi obſeruari ſolitas apud Principes uocem in huiusmodi electione habentes, qui ſunt ſeptem numero etc. Ac ne quis alios, quam VII. Officiales ordinarios intelligi, putet, nominatim deinde meminit Archiepiſcopi Colonienſis, Archiepiſcopi Moguntini, Comitis Palatini Rheni et regis Bohemiae, quos Richardo, et uiciſſim Archiepiſcopi Treuirenſis, Ducis Saxoniae et Marchionis Brandenburgenſis, quos Alphonſo ſuffragatos eſſe, oſtendit. Sunt ſane haec teſtimonia ita comparata, ut de ipſa electione ſolitaria accipi poſſent, niſi, alios etiam Principes eo tempore comitiis Imperatoriis adhuc interfuiſſe, aliunde conſtaret. Interim ſaltem, quousque Officialium in eligendo iura, inter turbas horum temporum, aſcenderint, ſatis declarant.

§. 28. *Alterum* et poſtremum fundamentum plenariae in eligendo Imperatore poteſtatis obtinendae, interregno Germanico iactum eſt. Cum enim ab anno 1257. usque ad Rudolphi Habſpurgici tempora nemo rerum potiretur, hoc interuallo illa quaſi umbra antiqui iuris eligendi, quae penes ceteros Principes adhuc remanſerat, prorſus euanuit. Hoc ea potiſſimum occaſione factum uidetur, quod electio ſemel iterumque fruſtra tentata fuerat, cum aut eligentes inter ſe diſſiderent, aut electus ipſe onus Imperii in illa rerum omnium perturbatione recuſaret. Vnde taedium fortaſſe cepit Principes, ad comitia, quorum toties infelicem euentum experti fuerant, redeundi. Soli ergo Officiales, qui, ut Ius Feudale Sax. cap. 6. loquitur, *in electione primi erant*, atque adeo officii cauſa honeſte abeſſe non poterant, comparebant, et quemadmodum iam antea tota comitia Imperatoria repraeſentauerant, ita nunc eadem uere, ceteris prorſus omisſis, conſtituebant, atque adeo, ut cum celeberrimo Leibnizio loquar, electionem *materialem* cum *for-*

formali, qua antea reliquorum nomine Imperatorem ſiue regem Romanorum renunciauerant, coniungebant. Hoc illi, quorum ius agebatur, tanto aequiore animo patiebantur, quod non modo, totum electionis negotium ſe abſentibus confici poſſe, intelligebant, ſed et onere ſe leuari putabant, dum in tanta rerum perturbatione comitiis ſe ſubducere poterant. Ita uero, ut B. Schurzfleiſchius, inſigne quondam Academiae noſtrae decus, et meus per ſex amplius annos praeceptor nunquam ſine ſingulari honoris teſtificatione nominandus, de hoc argumento loquitur, ius ſuum non uſurpando amiſerunt, et cum primo ſponte emanſiſſent, poſtea, republ. in meliorem ſtatum uindicata, etiamſi uellent, comparere in comitiis hiſce non amplius potuerunt.

§. 29. Ne nuda forſan coniectura hanc ſententiam niti, putes, locupletiſſimo teſtimonio confirmabo, in turbis interregni hanc conſuetudinem obtinuiſſe, ut in eligendo Imperatore abſentium nulla haberetur ratio, et ius ſuffragandi ſiue ſententiam dicendi in ſolos praeſentes recideret. Clare enim id docent acta electionis Richardi, in quibus iſta occurrunt: *Cum reliqui non ueniendo ad terminum concorditer aſſignatum ſe alienos ab electione reddiderint ea uice, tu ab omnibus Principibus, uel ſaltem ab iis, in quos totaliter ius eligendi reciderat, cenſeri debes electus.* Vide Epiſt. Vrbani IV ad Richardum infra proferendam. Poſtquam ergo tali modo reliqui Principes ſemel iterumque ſe *alienos ab electione* reddiderant, ius iſtud tandem non modo *totaliter*, ſed et in perpetuum ad Officiales *recidit*.

§. 30. Atque hoc ipſum ius eligendi totale ac ſolitarium A. 1356 per Auream Bullam a Carolo IV Imp. in comitiis Norimbergenſibus promulgatam, legis ſcriptae, imo fundamentalis auctoritatem obtinuiſſe, inter omnes conſtat, et ſupra ex ipſis Aureae Bullae uerbis demonſtra-

N tum

tum eſt. Nemo autem inde colligat, hoc tempore primum conſuetudinem huius electionis uim iuris accepiſſe. Contrarium enim, ut alia nunc taceam, uel ex comitiis Francofurtenſibus A. 1339 auſpicio Ludouici Bauari celebratis apparet, in quibus publica totius imperii auctoritate non tam ſancitum, quam confirmatum eſt: *ut Electores Imperii, et nullus alius, regem Romanorum eligant.* Conf. quae ſupra §. 16 de iis diximus.

§. 31. Hanc noſtram de Electorum ſtricte ita dictorum origine ſententiam duplicis generis aduerſarii oppugnant, alii, qui illam recentiorem, alii, qui antiquiorem eſſe, putant. Inter priores Beutherus *Animaduerſ. Hiſtoric. cap. XIII, p. 225.* hoc potiſſimum argumento nititur, quod rex Bohemiae ante Caroli IV tempora nullum inter Electores locum habuerit, ſed eum ab hoc demum Imperatore acceperit, qui ſcilicet primus *Wenceslaum filium ſuum regem Bohemiae ſenatui Electorum arbitrum et Imperii Archipincernam hactenus incognitum deſtinarit.* Vnde paucis interiectis, concludit: *ante Carolum IV nullus omnino erat Bohemiae rex inter Electores,* et pag. 227: *His documentis conuicti ſub Carolo IV Romanorum Imperatorum, ſiue regum Romanorum Electores ad ſeptenarium hunc numerum redactos fuiſſe, utique fatebimur, ſicque concludimus.* Haec ne fruſtra a Beuthero patre dicta eſſe uideantur, Io. Michael filius in ſubiectis Additionibus prouocat ad Chronicon quoddam uniuerſale, Germanica lingua ſcriptum, quod Anno 1589 Viennae in auguſta Imperatoris bibliotheca legerit, ex quo cum multa protuliſſet, p. 267. iſta ſubiungit: *Quae omnia ſi conſiderentur, haud difficile erit iudicare, originem primam ſeptem Electorum imperii Germanici utique ex Caroli IV hac conuentione prodiiſſe, non ante: qui etiam primus officia dedit Electoribus.*

§. 32. At enim uero 1. ponamus, regem Bohemiae re-

li-

liquis VI Electoribus demum Carolo IV Imperatore, acceſſiſſe, hoc certe originem ipſius collegii Electoralis inde repetendam eſſe, non magis probabit, quam ſi quis eam propterea ad Ferdinandi III. aut Leopoldi imperium reſtringeret, quod ſub illo octauus, ſub hoc etiam nonus Elector primum cooptatus fuerit. 2. Falſum autem praeterea eſt, nec Chronici illius neſcio cuius auctoritate demonſtrari poteſt, regi Bohemiae ante Carolum IV nullum inter Electores aut Officiales locum fuiſſe, etſi praeter Beutherum Alb. Cranzius *Saxon*, *L. IV. c. 25. 28. et L. IX. c. 26.* Schardius de *Orig. Elect. c. 9.* Baronius *Ann. Eccleſ. ad ann. 996. n. 67.* aliique clariſſimi Viri idem affirmant. Contrarium enim euincunt, ut alia nunc taceam, euidentiſſima illa et omni exceptione maiora probatorum auctorum teſtimonia, quae de electione ipſius Caroli IV et omnium fere antecedentium Imperatorum usque ad interregni tempora ſupra §. 5. et ſeqq. protulimus. Addantur, quae contra eandem opinionem erudite diſputat Thulemarius *Octouir. Cap. XIV, §. 11 ſeqq.* 3. Illud prorſus miror, et omni refutatione indigum cenſeo, quod Beutherus *Carolum Archipincernae quoque officium hactenus incognitum* ad regem Bohemiae detuliſſe, ſcribat, imo filius *in Addit. p. 267.* eundem ceteris etiam Electoribus Officia primum dediſſe, opinetur. Quis enim hodie tam expers eſt hiſtoriae Germanicae, ut hoc ſibi perſuaderi patiatur, aut non ſaltem poſt interregni tempora officia penes eosdem ſemper fuiſſe, concedat. Si in re euidenti teſtes et argumenta deſideres, adi Mallincrotium *de Archi-Cancell.* Conringium *in Exerc. de Officialibus Imperii*, et Thulemar. *Octouir. cap. XIII.*

§. 33. Maioris momenti eſſe uidetur, quod Chriſtophorus Lehmannus *Chron Spir. Lib. V, c. 17.* ex epiſtola ſex Electorum, Moguntini ſcilicet, Treuirenſis, Colonienſis,

 Bran-

Brandenburgici, Palatini et Saxonici, Anno 1338 ad Benedictum XII Pontificem Romanum ſcripta elicit. Cum enim in illa ſaepe *Coëlectorum* mentio iniiciatur, colligit inde, VIIuiros, quos iam ante Auream Bullam ſolos Imperatorem elegiſſe, pro inſigni ſua rerum Germanicarum notitia, non diffitetur, ſaltem *ius* ſolitariae electionis ante eam ſibi nondum unidicaſſe. En ipſa eius uerba: Nichts deſtoweniger / und ob wohl dieſe (officiales ſcilicet VIIuiri) damahls / und biß auff die Verordnung der güldnen Bull die Wahlen meiſtens verrichtet / ſo ſcheinet doch / daß ſie ſich allein ſolches Recht nicht gäntzlich zugeeignet / allermaſſen denn die ſechs Churfürſten / Mayntz / Trier / Cölln / Brandenburg / Pfaltzgraff und Sachſen im Jahr 1338. in einen Schreiben an Papſt Benedictum XII. wegen des Kayſers Ludouici Bauari folgende Wort gebraucht: Quorum Imperatorum ſiue regum defenſio ad nos, et omnes alios Coëlectores noſtros, prae ceteris mundi principibus ſpecialiter pertinere dignoſcitur.

§. 34. Sed ſi uir doctus epiſtolam hanc paulo diligentius inſpexiſſet, et cum aliis ſimilibus comparaſſet, facile, eam hiſtoriae totius analogiae nequaquam repugnare, intellexiſſet. Etſi enim, quod non diffitemur, ſex Electorum nomine, tamen a ſolo *Archiepiſcopo Moguntino, Electorum Principum Decano et per Germaniam S. Imperii Archi-Cancellario*, ut ſe ipſe in inſcriptione nominat, exarata eſt, qui de ſe, in multitudinis numero, more ſcilicet iam tum inter Principes uſitatiſſimo loquitur, atque adeo per Coëlectores nullos alios, quam quinque uel ſex reliquos collegas ſuos intelligit. 1.) Fidem huic rei faciet, ne longius teſtimonia accerſam, diploma de electione eiusdem Imperatoris Ludouici Bauari, ſub quo literae modo dictae ad Benedictum Pontificem ſcriptae ſunt, ab eodem Archiepiſcopo Moguntino A. 1314 editum, in quo iſta legun-

guntur: *Nos Archiepiſcopus Moguntinus antedictus - - - hora debita et conſueta procedere cupientes, in ſcriptis monitionem legimus, et proteſtationem quandam uice noſtra ac omnium ibidem praeſentium, proteſtando, quod non eſſet noſtra uel Coëlectorum noſtrorum intentio tales admittere etc.* Quod ſi Lehmanni ratio ualeret, per eandem ex his quoque aliquis collegerit, VIIuiros, quorum nomine proteſtatio illa facta, et epiſtola edita eſt, plures habuiſſe coëlectores, atque adeo reliquis Principibus idem eligendi ius nondum denegaſſe. Atenim contrarium prorſus ex toto diplomate patet, et nemo uon animaduertit, poſſeſſiuum plurale *nos* et *noſtra* ad ſolum Moguntinum eſſe referendum, per coëlectores uero nullos, niſi reliquos Electores ordinarios intelligendos, niſi forſan abſurde ſtatuere uelimus, plures cum Moguntino ſimul *monitionem in ſcriptis legiſſe*. 2. Quod Septemuiri hoc tempore non tantum de facto Imperatoris electionem ſoli peregerint, ſed et iure quodam eam ſibi uindicarint, ipſa literarum, ad quas Lehmannus prouocat, inſcriptio docet, in qua ſe *Romanorum Regis et coronandi Imperatoris* legitimos *Electores* cognominant. 3. Tantum uero abeſt, ut ius hoc Moguntinus cum aliis Principibus praeter Officiales, communicet, ut potius manifeſtum diſcrimen ex hoc capite inter utroſque conſtituat, quando ſub finem illius epiſtolae ſcribit: *ne, ſi ſecus fieret, nos et alii coëlectores noſtri NB. cum* aliis Principibus *Eccleſiaſticis et ſecularibus Alemanniae cogeremur inuenire et quaerere contra hos proceſſus, quamuis inuiti, remedia opportuna, ſuper praemiſſis ad ſanctitatem ueſtram tales transmittimus.*

§. 35. Plures ſunt, qui ex altera parte nos oppugnant, et collegium Electorale multo antiquius regno Germanico, nedum Rudolphi temporibus eſſe, ſibi perſuadent.

Non morabor autem hic eos, quibus illud uel Ottonis III. uel Gregorii V. uel ullius Imperatoris aut Pontificis ante interregnum Germanicum decreto inſtitutum uidetur. Quae enim contra horum rationes iam pridem a uiris eruditis diſputata ſunt, ſupra cap. II. et III. ita expoſui, ut neminem, qui paulo diligentius ea perpenderit, ampliorem refutationem deſideraturum putem. Ea ſaltem, quae ab Erico Mauritio *in diſſ. de Orig. Elect. theſ. 10.* et poſt eum ab H. G. Thulemario *Octouirat. Cap. VII. §. 33. ſeqq.* in contrariam ſententiam afferuntur, paucis ſunt diluenda. Hi enim etſi non, ut priores, originem Electorum certae Imperatoris uel Pontificis cuiusdam conſtitutioni adſcribunt, tamen partim iisdem, partim etiam aliis argumentis demonſtrare conantur, collegium Electorum iam ſub Friderico I. Imp. floruiſſe.

§. 36. Prouocant I. ad epiſtolam Innocentii III. Pontificis Rom. ad Bertholdum Ducem Zaringiae, quae legitur Cap. 34. **X de Electione et electi poteſt.** ubi Pontifex, ſe *illis principibus ius et poteſtatem eligendi regem in Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcere*, ſcribit, *ad quos de iure et antiqua conſuetudine noſcitur pertinere.* Ad quae Cardinalis Hoſtienſis ita commentatur: *Illis, ſcilicet Moguntino, Colonienſi, Treuirenſi Archiepiſcopis, Comiti Rheni, Duci Saxoniae, Marchioni Brandenburgenſi. Septimus eſt Dux Bohemiae, qui modo rex eſt.* Atenim Cardinalem hunc de mente Pontificis et ſenſu uerborum eius uehementer erraſſe, iam ſupra oſtendimus. Nam Baronius in Annal. ad Ann. 996. n. 61. luculenter demonſtrat, epiſtolam hanc Innocentii eſſe reſponſoriam ad literas ſupra Cap. II. §. 5 allatas, quibus de electione Philippi et Ottonis IV certior factus fuerat. Harum uero teſtimonio nequaquam ſoli VIIuiri Officiales, ſed longe alii Principes, utrumque Regem Rom. elegerant, qui proinde ipſi

illi

illi ſunt, quibus Pontifex, ut debebat, ius eligendi Imperatorem, ut uerbo eius utar, recognoſcit.

§. 37. Vrgent II. teſtimonium Martini Poloni, qui in Ottone III diſerte VIIuiros Officiales recenſet, et per eos Imperatorem eligi, affirmat. Sed primo ueriſimile non eſt, Chronicon hoc Martinianum, quod in anno 1275. deſinit, ante Rudolphi I. tempora ſcriptum aut editum fuiſſe. Hunc autem a VIIuiris Officialibus, et quidem ſolis electum eſſe, utraque manu largimur. Deinde ſi fingamus, illud uel ipſo interregno antiquius eſſe, quonam argumento uel indicio probabitur, ius eligendi, quod Officialibus in eo tribuitur, intelligi ſolitarium, ac non potius cum praeuia reliquorum Principum deliberatione ac deſignatione coniunctum? Hoc enim iam ante interregnum penes Officiales fuiſſe, iterum concedimus, imo infra etiam demonſtrabimus.

§. 38. III. Vtuntur auctoritate Speculi et Iuris Feudalis Saxonici, monumentorum ſcilicet, ex communi ſententia Rudolphi et interregni tempore antiquiorum. Sed quae ex iis proferuntur, ſententiam noſtram magis ſtabiliunt, quam labefactant. Dum enim in Iure Feudali Saxonico *Moguntinenſis, Treuirenſis, Colonienſis Archiepiſcopi, Palatinus Rhenenſis, Dux Saxoniae, Marchio Brandenburgenſis primi in electione regis Romanorum eſſe* dicuntur, quis non uidet, reliquis Principibus ſaltem ſecundas in ea partes relinqui? Idem prorſus ſibi uolunt uerba Speculi Saxonici, quae, dum, eosdem Officiales primos in electione regis Romanorum eſſe debere, aſſerunt, mox diſerte additur, *ut iſti non eligant ſecundum placitum ſuum, ſed quem NB. omnes illuſtres imperii Principes elegerint, eundem prae ceteris in regem nominent.*

§. 39. IV. Pro ſe afferunt uerba haec a Gewoldo in *Tr. de Septemuir. Cap. 6.* adducta, quibus Fridericus I. in

in proſcriptione Henrici Leonis, Saxoniae et Boioariae ducis uſus eſſe dicitur: *Henricum ob feudi noxiam commiſſoriam peractam, Ducatu Ripariorum et Saxoniae exfeſtucamus, omnesque eius poſteros dictis dominiis et terris exſpoliamus, et ab eo eiusque generationis hominibus auferimus ius eligendi Caeſarem, qua laudis praerogatiua ipſe ac pater eius ſplendidus extitit.* Adiungunt etiam uerba literarum, quibus idem Imperator Ducatum Saxoniae Henrico ademptum in Bernardum Aſcanium tranſtulit: *In Bernardum nobis ac imperio fidelem ac dilectum Principem conferimus tractum Saxonicum, ac munus Electoratium, quae Henrico priori poſſeſſori, omni iure poſtulante, abiudicauimus, et te iſtis gratiis ac iuribus ſublimamus, ob tua fidelia ſeruitia, iuſtitia exigente, de uoce et inſtigatione Principum regni noſtri.* Sed in his etiam habeo, quod moneam ac deſiderem. Nam *primo* cum Gewoldus, ad quem ſolum hic prouocatur, rerum quadringentis ante ſe annis geſtarum per ſe nequaquam ſatis idoneus auctor ſit, optarem, ut monumentum ipſum, ex quo ille uerba citata deſumſerit, indicaretur. Valde enim alioquin dubito, an haec maioris fidei uel auctoritatis ſint, quam illa Amandi et Welberti, quae ex eodem Gewoldo in hoc argumento toties repetuntur. Fac autem, eſſe genuina, certe per totam hiſtoriae analogiam multo certioribus fundamentis nixam, *ius eligendi Caeſarem*, et *munus Electoratium*, quod ab Henrico ad Bernardum translatum dicitur, aliter accipi non poteſt, quam de communi illo iure, quo omnes eo tempore Germaniae Principes Romanorum regem eligere poterant. Quid enim impedit, quo minus hoc eodem modo ab Henrico proſcripto ad Aſcanios olim tantum Comites perueniſſe, putemus, quo hodienum ius ſententiae in comitiis Imperii dicendae uni Principi proſcripto una cum ditione ereptum alteri cuidam tribui ſolet?

§. 40.

Google

§. 40, Quid uero tandem dicemus de diplomate Rudolphi I. Anno 1290. Erfurti promulgato, et a Goldaſto *Conſtit. Imp. T. II. p. 85.* ut et *Appendici Comm. de Bohemiae Regno p. 31.* inſerto, quo uel ſolo Thulemarius omnes ſcrupulos, qui per antea diſputata de ſententia ſua remanere potuerint, exemptum iri, confidit. Dum enim in hoc Imperator Wenceslao genero ſuo Pincernatus et Electoratus iura confirmat, eadem *etiam progenitoribus eius, imo auis, proauis, atauis, abauis pleniſſime competiiſſe*, teſtatur. Iam uero abauum Wenceslai Vratislaum Friderici I. temporibus uixiſſe, et huic eligendo inter primos Electores ſuffragatum eſſe, ex Dubrauio docet, indeque originem Electorum longe aetatem Friderici II tranſcendere, imo ultra Friderici I. tempora pertingere, concludit, quod poſt Onuphrium Panuinium et Lehmannum tot eruditi et egregii uiri hactenus negarint. Itaque ex eius quidem ſententia, lis perorata eſt, et nos cauſa cecidimus. Si tamen pauca ſaltem interfari liceat, monuerim primo, Imperatorum poteſtatem tantam eſſe, ut ſibi ſubiectorum uoluntati imperare, non, ut, in rebus factis omnium intellectum cogere posſint. Si igitur ex idoneis antiquorum et coaeuorum ſcriptorum teſtimoniis, imo ex ipſis monumentis authenticis ſupra Cap. II. §. 5. prolatis conſtat, cum ipſum Fridericum I. tum ſucceſſores eius, inprimis Philippum et Ottonem IV. proximos Friderici II. anteceſſores ab aliis, quam Officialibus fuiſſe electos, nec centum edicta Imperatoria centum amplius annis recentiora contrarium perſuadere poſſent. Nec ſane mirum eſſet, ſi in diplomate ſub finem ſeculi XIII edito aperte Electores ſolitarii et ſtricte ſic dicti Friderici I. temporibus adſcriberentur, cum conſtet, iam tum communem illum errorem de collegio Electorum ab Ottone III. et Gregorio V. inſtituto animos occupaſſe. Aſt non-

O dum

dum huc nobis in praeſenti argumento confugiendum eſt, ut ullius erroris decretum Rudolphi accuſemus: modo uerba eius recte iutelligantur, et ex uulgari illo Logicorum canone explicentur: talia ſunt praedicata, qualia permittuntur eſſe a ſuis ſubiectis. Nimirum concedamus, non ſolum Wenceslaum ipſum, ſed et auos, proauos, abauos eius, ſiue Reges, ſiue Principes Bohemiae, Electores fuiſſe, ſed tales, quales temporum, in quae aetas eorum incidit, conditio ferebat, atque adeo pro horum diuerſitate uel ſolitarios, uel late dictos, uel denique communes, quales olim et adhuc poſt Friderici I. imperium erant omnes Germaniae Principes. Nihil enim aliud intendit Rudolphus Imperator, quam eos refutare, qui regem Bohemiae Germanum eſſe, negabant, et hac de cauſa iura, aliis Germaniae Principibus debita illi denegabant.

§. 41. Antequam finem huius Sectionis faciamus, unum reſtare uidetur, ut, qua ratione Viri illi clariſſimi argumenta ſententiae ſuae oppoſita, noſtrae autem fauentia, quae ex comitiorum ante Friderici tempora celebratorum hiſtoria petuntur, eludant, paucis conſideremus. Diſtinguit uidelicet Mauritius in laudata Diſſert. *de Origine Electorum et comitiis Electoralibus* §. X. inter *nominationem*, *electionem* et *conſenſum*. Primam et ultimum omnium principum in illis comitiis communem, mediam uero VIIuirorum Officialium propriam fuiſſe, contendit: ceterum tria haec ab imperitis ſcriptoribus, potiſſimum monachis, rerum publicarum ignaris confuſe ſub uno electionis nomine comprehenſa fuiſſe, ſuſpicatur. Atque ita accipienda putat omnia teſtimonia ſupra cap. II. §. 5 collecta, in quibus Imperatores ſeculi XI. et XII ab omnibus Principibus electi eſſe dicuntur: imo hinc pro communi et uulgari illa ſententia, quae Ottoni

III.

III. inſtitutionem collegii Electoralis tribuit, non improbabiliter diſputari poſſe, ſibi perſuadet, quoniam ſcilicet neruus argumentorum contrariorum diſtinctione ſua incidatur. Hanc diſtinctionem utraque manu amplectitur Thulemarius Octouirat. Cap. VII. §. 25. *Coniecturam iſtam*, inquiens, *bonam eſſe, et aſſenſum mereri, apertis tibiis profiteor.* Sed quid nos in illa deſideremus, iam ſupra Cap. II. §. 7. indicauimus: quid in ea probemus, ſequenti capite demonſtrabimus: hic ea tantum, in quibus ſententiae noſtrae obſtare uidetur, paucis amoliemur. Scilicet 1. ſi omnia concederemus, non tamen Officiales ante Rudolphi tempora Electores ſolitarios, quales Aurea Bulla confirmauit, ſed tantum praecipuos fuiſſe, conſequeretur. Quaeritur autem hoc loco de prioribus. 2. Illa ipſa teſtimonia, quae Viri Clariſſ. pro ſua diſtinctione afferunt, (ſi ſuſpecta Amandi et Welberti uerba excipias) ſatis declarant, reliquos Principes ex antiquitatis iudicio, ab electione non fuiſſe excluſos. Nam apud Albertum Stadenſem ipſimet Officiales diſerte fatentur, *ſui iuris non eſſe Imperatorem ſubſtituere*, (i. e. pro arbitrio ſuo, plena et abſoluta poteſtate eligere) *ſed tantum electum a Principibus coronare.* Nec minus perſpicue ea de re Speculum Saxonicum loquitur, quando decernit: **welchen die Fürſten alle zu einen König erwehlen/ den ſollen ſie allererſt bey Nahmen nennen und kieſen.** Atque adeo 3. non per errorem imperitorum monachorum, ſed in ipſis monumentis publicis electio Principibus adſcribitur, ut taceam nunc literas, quas ſupra Cap. II. §. 5. protuli, de electione Ottonis IV. ad Innocentium Pontificem Romanum ſcriptas, in quibus praeter Adolphum Archiepiſcopum Colonienſem, Bernardus Epiſcopus Paderbornenſis, Thitmarus, Epiſcopus Mindenſis, Widichindus

Abbas Condeienſis, Henricus Dux Lotharingiae, aliique, ſe *elegiſſe et ſubſcripſiſſe*, ſua manu teſtantur. Cum igitur nihil ſat firmi pro electione Officialium ſolitaria Rudolphi I. temporibus antiquiori, etiam ab his, qui eam ex inſtituto probare conati ſunt, proferri poſſit, manebit id, quod hac Sectione aſſeruimus, initium huiusmodi electionis ab anno 1273. eſſe repetendum.

SECTIO II.
De origine Electorum primariorum.

§. 1.

QVoniam ex hactenus diſputatis de origine Electorum ſolitariorum ſiue ſtricte ita dictorum ſatis certo conſtat, ſequitur, ut, quousque in perueſtigando *initio Electorum primariorum* ſiue latius ita dictorum aſcendere liceat, experiamur. Quod enim iam ante Rudolphum I. Officialium in eligendo rege Romanorum praecipua quaedam prae reliquis Principibus eminentia ſiue praerogatiua fuerit, Speculi Iuris Saxonici, Alberti Stadenſis, aliorumque teſtimonia nos dubitare non ſinunt. Atque haec ipſa, etſi maximam partem iam in antecedentibus capp. ſparſim allata, nunc unum ſub conſpectum dabimus, ut tanto facilius, quaenam iura illa Electoratus primarii fuerint, iudicari poſſit. Verba Speculi Iuris Saxonici circa annum 1230. ſi Conringii rationes ſequimur, ab Epkone Repkouio editi, quae Lib. III. art. 57. in uulgatis editionibus uarie et corrupte admodum leguntur, Goldaſtus *Replic. pro Imp. Cap. 38.* ex emendatiori quodam codice ita profert: *In Principis electione primus erit Epiſcopus Moguntinenſis, ſecundus Treuirenſis, tertius Colonienſis. Primus inter ſuperilluſtres regni Pfalzgrauius, qui eſt Dapifer, ſecundus Dux Saxoniae, Marſcalcus, tertius Marchio Brandenburgenſis, Camerarius. Bohemiae rex pincerna eſt, qui non eligit, quia noſtrae non eſt natio-*

tionis. Poſthaec omnes Illuſtres Imperii tam ſeculares, quam ſpirituales eligant. Non ſic autem praedicti ſecundum eorum placitum eligere debent, ſed quem omnes Illuſtres elegerunt, eundem prae ceteris in regem nominabunt. Conf. uerba uerſionis Germanicae ſupra Cap. I. §. 3. recitata. In Iure Feudali Saxonico, quod, iuxta communem ſententiam, circa idem fere tempus conſcriptum eſt, et in Gloſſa Speculi Sax. L. 1. art. 14. Friderico II. tribuitur, iſta leguntur: *Electus rex a Teutonicis cum Romam proficiſcitur conſecrari, ſex Principes procedere tenentur adſtricti, hi ſcilicet, qui primi ſunt in electione ipſius, Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis Archiepiſcopi, Palatinus Rhenenſis, Dux Saxoniae, Marchio Brandenburgenſis, ad hoc, quod iuſta Regis electio per ipſos Domino Apoſtolico declaratur.* In eandem ſententiam in Speculo Suenico Lib. I. c. 29. §. 4. ſancitum eſt: Sie ſollen dargebieten (Moguntinus ſcilicet et Palatinus) zu dem Geſprâche ihren Geſellen (i. e. Coëlectoribus) die mit ihne da wehlen ſollent. Darnach den andern Fürſten / alſo viel ſie ihr gehaben mögent. Et in Weichbild Art. XIII. *Praeterea ordinauit tres duces Laicos, qui primi ſunt in electione Imperiali, uidelicet Marchionem Brandenburgenſem, Ducem Saxoniae, Palatinum Rheni. Hi enim tres ſunt Laici Principes primi in electione imperiali, cum nouus rex eligitur Teutonicae nationis.* Cum his coniungendus eſt ſaepe laudatus Albertus Stadenſis, qui in Chronico ad An. 1240. Officiales nominatim recenſitos *ex praetaxatione et conſenſu Principum regem Romanorum eligere, et electum coronare*, ſcribit. Verba integra ſupra Cap. I. §. 3. protulimus.

§. 2. Ex his teſtimoniis colligimus I. Officiales ſeculo XIII. ante Rudolphum I. nondum fuiſſe Electores ſtricte dictos aut iure eligendi ſolitario praeditos: quoniam α) praeter eos alii quoque Principes ad comitia Imperatoria conuocari iubentur *in Spec. Sueu. l. c.* β) quia ipſi eli-

gere dicuntur *non ſecundum placitum ſuum*, in *Spec. Sax.* ſed, iuxta Albertum Stadenſem, ex *conſenſu et praetaxatione*, hoc eſt ex praegreſſa aeſtimatione, deliberatione ac nominatione Principum reliquorum. (Hanc enim taxationis et praetaxationis ſignificationem apud medii aeui ſcriptores fuiſſe, oſtendunt G. I. Voſſius *Lib. II. de Vitiis Lat. Serm. c. 17.* et Carolus Du Freſne *Gloſſar. Tom. III. p. 1075.*) Et haec quidem nominatio, ſi uerba ſupra, praeſertim ex Speculo Sax. allata, accuratius conſideres, non uaga aut generalis tantum, ſed determinata, et ad unum aliquem Principem, quem regem creari uolebant, reſtricta, hoc eſt, ſi rem ipſam ſpectes, nihil fere aliud, quam electio fuit.

§. 3. Interim tamen II. patet, Officiales praecipuas in electionis negotio partes ſuſtinuiſſe: quoniam α) in Speculo Saxonico pariter ac Sueuico, nec minus in Iure Feudali Sax. *primi in electione*, iuxta codd. Germ. die erſte an der Chur/ eſſe dicuntur, et propterea β) prae ceteris omnibus ad electionem alterius ſiue noui Imperatoris ſollicitantur, apud Albertum Stad. l. c.

§. 4. Etſi uero, propter idoneorum monumentorum inopiam, multa forſan iura, in quibus praerogatiua illa Electorum primariorum poſita fuit, nos hodie lateant, tamen III. ex ſupra adductis apparet, ſingulare ac proprium eorum munus fuiſſe, ut regem Romanorum communibus omnium, aut certe plerorumque ſuffragiis *electum*, ut cum Speculo Iuris Saxonici loquar, aut, ſi malis, nominatum publice renunciarent, et electioni, ut Leibnizii diſtinctione utar, *materiali*, cui ipſi quoque ſine dubio interfuerunt, per electionem ſuam *formalem* ac *ſolennem*, ut Petro de Vineis dicitur, ultimum quaſi pondus adderent. Conf. Cap. praeced. § 7. Iſta autem renunciatio fieri potiſſimum ſolebat literis publice datis et Pontifici

tifici

Google

tifici Romano inſcriptis, quarum exemplum legas apud Nic. Burgundum *Hiſt. Bauar. Lib. I. p. 15. ſeqq.* ubi ſimul conſuetudinem illam haud obſcure ob oculos ponit, quando ſcribit: *moris erat, ſingulos Eccleſiaſticos Electores tanquam Archi-Cancellarios territorus diſtinctos ſingula electionis diplomata conficere, offerenda Pontifici Maximo ab electis coronam Imperii poſtulantibus.* Etſi uero Burgundus tantum Electores Eccleſiaſticos diploma hoc electionis confeciſſe, teſtatur, reliquorum tamen Electorum nomina in eo non fuiſſe omiſſa, uel ipſum exemplum huiusmodi literarum, quod ſubiungit, manifeſto demonſtrat. Et hoc ipſum ſibi uelle uidetur Ius Feudale Saxonicum, dum *per eos* ſc. Officiales, *iuſtam regis electionem Domino Apoſtolico declarari*, oſtendit.

§. 5. Tandem et illud Electorum primariorum proprium fuit, quod electum Imperatorem *coronarent*, ut ipſi loquuntur apud Albertum Stad. l. c. h.e. ſolenni ritu inaugurarent. Qua ratione autem hoc ab omnibus VIIuiris ſimul factum, et quae ſingulorum in illa inauguratione partes fuerint, uel exemplo electionis Vilelmi A. 1248. factae, cuius hiſtoriam propterea Sect. praeced. §. 26. paulo fuſius expoſuimus, intelligi poteſt. Quanquam ſi dicendum, quod res eſt, hoc magis ad Officia Aulae et Cancellariae, quam ad iura Electoratus pertinuiſſe uidetur.

§. 6. Quod ſi nunc quaeras, quo tempore iura haec Electoratus late ſic dicti coeperint, id quidem definire difficile eſt. Nam ipſo proxime antecedenti ſeculo XII. idonei eorum teſtes nos deſtituunt, niſi forſan in hunc numerum referendos exiſtimes Welbertum et Amandum, ſcriptores perobſcuros, et nondum, quod ſciam, publica luce donatos, quorum alter Conradi III, alter Friderici I. cuius Secretarius fuiſſe perhibetur, electionem

de-

deſcribens, *pleroſque Principes ſeculares et ſpirituales* ad comitia Imperatoria conuocatos, *nude et ſimpliciter nominaſſe*, teſtatur, *quem optarint per alios eligi, et tamen ipſos non elegiſſe, quia non habuerint uoces ſuffragiorum realium: paucos autem ſpirituales et temporales Principes* (puta Officiales) *regem uotiue elegiſſe etc.* Verba eorum ex Gewoldi Comment. de Septemuir. Cap. VI. plenius ſupra recitauimus Cap. II. §. 6. Sed ſimul etiam, quam dubia et ſuſpecta eorum fides ſit, indicauimus. Illud quidem certum eſt, rationem eligendi ab iis deſcriptam cum publicis ac fide dignis ſeculi XII. monumentis conciliari non poſſe. Nam in eligendo Philippo et Ottone IV. quos ſub finem eius rerum potitos eſſe, conſtat, aequalia omnium Principum iura ac ſuffragia fuiſſe, non modo ſcriptorum fere aequalium teſtimoniis, ſed ex ipſis etiam electionis diplomatibus ſupra Cap. II. §. 5. demonſtrauimus.

§. 7. Quae cum ita ſint, facile in eam ſententiam adducor, ut ius Electoratus primarii, quod ante Rudolphi I. tempora penes Officiales fuit, ſub Friderico II. proximo ſcilicet Ottonis IV. ſucceſſore, aut certe non ante huius imperium coepiſſe, putem. Id enim confirmant 1. omnia genuina monumenta paulo ante citata, in quibus huius poteſtatis ueſtigia occurrunt, dum nullum eorum Friderici II. tempora antecedit. 2. Apprime hoc in eius imperium conuenit. Cum enim filios ſuos ſemel iterumque reges Romanorum eligendos creandosque curarit, uериſimile omnino eſt, id eum per Officiales potisſimum obtinuiſſe: quoniam hi et auctoritate ceteris Principibus antecellebant, et propiore pariter ac crebriore Imperatoris conſuetudine utebantur. Qua occaſione quid obſtat, quo minus illos praecipuum quoddam in electione ius ſibi uindicaſſe, putemus? 3. Fauent huic ſententiae Acta electionis Conradi IV. alterius filii Fri-

Friderici II. quem hic regem Romanorum creandum curauit. In his enim illi, qui negotio electionis praefuerunt, ſe *Patres et lumina imperii reputari*, ſcribunt. Vnde Leibnizius *Cod. Iuris Gent. Diplom. praef. p. 12.* non de toto Principum coetu, ſed de quibusdam tantum ſingularem ac praecipuam in electione auctoritatem obtinentibus ſermonem eſſe, colligit. Iidem uero non magis in Conrado, quam in Henrico, priore Friderici II. filio eligendo ſe praecipuas partes ſuſtinuiſſe, innuunt, quando pergunt: *Et licet Henricum primogenitum ſuum pridem ſimili prouiſione nobis in regem duxerimus eligendum, quia tamen - - - - contra patrem ab aquilone ſedem conſtituens, loco tanti regiminis ſe demonſtrauit indignum - - - Henrico Conradum, uelut David Sauli ſancta deliberatione praeuidimus ſubrogandum.* 4) Hoc ſine dubio animaduerterunt uiri eruditi, qui ipſam Electorum conſtitutionem Friderico II. tribuunt, ut Reinh. Koenigius, Chriſtoph. Lehmannus Iac. Lampadius, Io. Freinsheimius, et ipſe, quem ſaepe laudauimus, Leibnizius, etſi hic accuratius, quam ceteri, ſub Friderico II. tantum *formam aliquam cepiſſe Electorale munus*, ſcribit.

CAP. VI.
DE ORIGINE TITVLI ELECTORIS.
§. 1.

QVoniam ex hactenus diſputatis de initio ipſius Electoratus cum ſolitarii tum praecipui ſatis conſtat, non iniucundum aut inſtituto noſtro alienum uidetur in cognominis etiam, quod ab inſigni illa praerogatiua et eminentia VIIuiris Officialibus impoſitum fuit, originem paucis hoc capite inquirere. Neque enim uiolatae methodi, quae nominis tractationi primum alioquin locum tribuere iubet, reprehenſionem mihi pertimeſcendam

 puto,

puto, quia non taedioſa ac ſuperuacanea etymologiae explanatione moleſtiam lectori creare, ſed hiſtoriam potius praecipui illius tituli, qui IXuiros hodie a ceteris Germaniae Principibus diſtinguit, et ad ipſam regis dignitatem proxime accedit, recenſere mihi propoſitum eſt. Haec autem ut rei ipſius notitia, tanquam fundamento nititur, ita ſine illa praemiſſa commode exponi non poteſt.

§. 2. Quod ſi uirorum eruditorum, qui de ea hucusque ſolliciti fuerunt, ſententias inter ſe comparare inſtituo, in his non minorem propemodum, quam in opinionibus de ipſius rei origine diſſenſionem deprehendo. Nonnulli, qui uulgarem de initio collegii Electoralis opinionem ſequuntur, uocabulum quoque Electoris ſenſu hodie uſitato acceptum eiusdem antiquitatis eſſe, ſibi perſuadent, adeoque non tantum in hiſtoria ſeculi XIII. ſed et undecimi ac duodecimi Electores confidenter enumerant: isque error recentisſimorum quoque ſcriptorum, qui ex decem compendiis hiſtoricis undecimum conficiunt, fere communis eſt. His paulo acutius cernere, ſed ſimul in alterum extremum prolabi uidetur *Petrus Albinus*, qui non moratus errantium multitudinem, titulum Electoris pariter ac Archimareſchalli, Archi-Camerarii et reliquos ab officiis ſolennibus aulae et cancellariae ductos ſeculo demum XIV. ſub Carolo IV. Imperatore, aut certe non ante annum 1330. inualuiſſe, et priorem quidem inter Duces Saxoniae ab Anhaltinis nunquam, inter Marchiones Brandenburgicos ab Alberto III. cognomine Achille, quem fratri Friderico II. anno demum 1471. defuncto ſucceſſiſſe, conſtat, primum uſurpatum fuiſſe, arbitratur *in Chron. Miſn. Tit. XVI. p. 217.* Quo clarius ſententia eius intelligatur, ipſa uerba dabimus, quae ita ſe habent: Wie denn auch keiner Anhaltiſchen Stammes ſich

Chur-

Churfürſt / ſondern Obriſt-Marſchall oder Ertz-Marſchalck ꝛc. geſchrieben / deßgleichen ich auch im Brandenburgiſchen Stamm gemercket / das Albertus mit den Zunahmen Achilles zum erſten das Wort Churfürſt im Titel gebraucht / da ſich ſeine Vorfahren Obriſt-Cämmerer oder Ertz-Cämmerer geſchrieben. Und iſt ſonſt ſo viel abzunehmen / daß die Titel des Obriſten-Marſchalcks / Cämmerers und andere auch um die Zeiten Caroli IV. oder ja um das 1330. Jahr allererſt in Schwang und Brauch kommen. *Onuphrius Panuinius*, qui primus fere in hiſtoria Electorum nugari deſiit, pro certo exploratoque ſumit, nomen Electorum a tempore concilii Lugdunenſis Ann. 1274. celebrati, a quo ſcilicet ipſiusmet Electoratus originem repetit, uſu receptum fuiſſe, *cum antea nulla omnino huius uocis mentio occurrat*, quae uerba eius ſunt *lib. de Comitiis Imperator. Cap. de ueriori VII. Imperii Electorum inſtitutione p. 401.* Celeberr. Leibnizius antiquiſſimam Electorum mentionem Alexandri IV. Pont. Rom. epiſtola ad Gerardum Archiep. Moguntinum de non eligendo Conrado Friderici II. nepote, Anno 1256. Kal. Auguſti ſcripta contineri, exiſtimat in *Cod. Iur. Gentium Diplomat. Prodr. pag. 10.*

§. 3 Sed mea quidem ſententia operam luſerit, ſi quis ſine diſtinctione certam in hac controuerſia ſententiam uel inueſtigare uel pronunciare uoluerit. Quaeri enim 1) poteſt aut de uocabulo *electoris* in ſe ſpectato, aut ad dignitatem ſiue praerogatiuam illam, de qua hic agitur, accommodato. Si prius intelligatur, nemo dixerit, illud aut adeo nouum eſſe, ut collegii Electoralis, imo ipſius Imperii Romano-Germanici initium non longe antecedat, aut adeo barbarum, ut ab omni Latinorum ſcriptorum uſu abhorreat. Legitur enim iam apud auctorem Rhetoricorum ad Herennium cuius uerba ſunt: *Ipſi ab*

aliis potius eligendi, quam aliorum boni electores exiſtimentur. L. IV. cap. 4. Hunc autem fuiſſe Cornificium, Ciceronis aetati ſupparem, atque adeo ipſius aurei Latinitatis ſeculi ſcriptorem, poſt Ant. Riccobonum et alios confirmat B. C. S. Schurzfleiſchius ὁ πάνυ in *Diſſ. de Auctoritate Rhetoricorum ad Herennium, §. IX.* Poſteriori autem modo acceptum, re ſignificata, atque adeo Friderici II. imperio antiquius eſſe non poſſe, per ſe manifeſtum eſt.

§. 4. Quod ſi nunc primam et antiquiſſimam uocabuli electoris hoc poſteriori ſenſu accepti mentionem requiras, 2) diſtinguenda ſunt monumenta, in quibus iſta occurrit. Haec enim uel ſunt aliena et peregrina, uel domeſtica ipſorummet Electorum, aut ſaltem nomine illorum exarata. Non tam ex illis, quam ex his, a quo tempore nomen Electoris tanquam *titulus* uſurpatum fuerit, iudicari poteſt. Inter priora cum Leibnizio antiquiſſimum eſſe, agnoſcimus epiſtolam, quam ſupra diximus, Alexandri IV. Pontificis Rom. Ann. 1256. ſcriptam, ubi iſta leguntur: *Aliis uero Coëlectoribus tuis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus auctoritate noſtra firmiter inhibeas, ne ipſum ad hoc nominent, uel eligant, uel in eum conſentiant.* et paulo poſt: *Adhaec nihilominus in omnes Electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare, ſiue eligere, ſiue in ipſum conſentire praeſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgamus.* Repetitur deinde, ut alia et recentiora teſtimonia nunc mittam, ab Vrbano IV. in epiſtola ad Richardum electum regem Romanorum, quando illi *concorditer electus eſſe* dicitur, *in quem uota omnium Electorum Principum* diriguntur, uerbis iam ſupra recitatis. Non ignoro, iam ex ſeculo XII. huc referri ſolere literas Friderici I. Imperatoris, quibus *ius Electoratium* Henrico Leoni abiudicatum in Bernardum Anhaltinum confert. Sed illae, ſi modo ſatis germanae ſunt,

neque

neque de ſolitario nec de praecipuo, ſed de communi tantum eligendi iure intelligi poſſunt, cum aliud comitia Imperatoria eius temporis, quorum rationem ſupra expoſuimus, non admittant. Praeter cetera autem literas haſce mihi ſuſpectas reddunt ſcriptores bonae fidei et aetati Friderici I. ſuppares, qui ſolum Ducatum, nunquam uero Electoratum Bernardo tributum fuiſſe, uno ore confirmant. Ita Abbas Vrſpergenſis in Chron. ad a. 1157. *Ducatum* inquit, *Saxoniae contulit* (Fridericus I.) *cuidam Nobili Bernardo de Anhalde filio ſupradicti Alberti, qui etiam usque ad noſtra tempora ſuperuixit.* Et Arnoldus in Contin. Chron. Slau. Helmoldi Lib. II. c. 24. *Imperatori ex ſententia Principum reſponſum eſt, quod iuſtitia dictante, omni ſit honore deſtituendus* (Henricus) *ita, ut proſcriptione publica diiudicatus et Ducatu et omnibus beneficiis careat, et alter in locum eius conſurgat.* et paulo poſt: *Bernhardum comitem de Anhald pro eo Ducem conſtituit.* Conſenit Alb. Cranzius Saxon. L. IV. c. 38. his uerbis uſus: *Bernardo de Anhald Comiti, filio Alberti Marchionis, quod ex eadem Magni nouiſſimi Ducis ſtirpe per auiam deſcenderat, Ducatus Saxoniae ſolenni donatur apparatu.* Taceo nunc Diplomata nuper a celeberr. Becmanno in Hiſtoria Anhaltina prolata, in quibus Bernardus nunquam alium, quam *Ducis Saxoniae et Comitis Aſcaniae* titulum gerit. Vide ipſum *Part. IV. c. 2. §. 5.*

§. 5. Quod ad monumenta domeſtica attinet, quae potisſimum Albinus, in origine uocabuli, aut potius tituli Electoris reſpexiſſe uidetur, ſi inſcriptiones ſepulchrales huc referendas arbitreris, in iſtis titulum hunc Ducibus et Electoribus quibusdam Saxoniae Anhaltinis tributum fuiſſe, uel ex hic ſubiectis, quae in urbe noſtra Vitembergenſi et ſpeciatim in templo coenobii Franciſcani oſtenduntur, perſpicuum eſt.

P 3 I. ANNO

I.

ANNO MCCLXXIII. VIII. ID. SEPTEMBRIS OBIIT DOMINA HELENA CONIVX ALBERTI I. DVCIS SAXONIAE ELECTOR. FILIA DVCIS OTTONIS DE BRVNSVIC FVNDATRIX HVIVS COENOBII.

II.

ANNO M CC XCVII. OBIIT ALBERTVS II DVX SAXONIAE ET ELECTOR.

III.

ANNO M CCC XXIX. IV. APRILIS MORTVVS EST DVX SAXONIAE ALBERTVS FILIVS RVDOLPHI I. ELECTOR SAXONIAE NATV MAXIMVS.

IV.

ANNO MCCCLVI. XII MARTII MORTVVS EST RVDOLPHVS SENIOR DVX SAXON. ELECTOR.

V.

ANNO MCCCXCV. MORTVA EST ANNA CONIVNX RVDOLPHI III. DVCIS SAXON. ELECT. QVAE FVIT FILIA BALTHASARIS LANDGRAFII THVRINGIAE.

VI.

ANNO MCCCCII. XIV. CAL. OCTOBR. MORITVR WENCESLAVS DVX SAXONIAE.

VII.

ANNO MCCCCXIX. IX. IVNII OBIIT RVDOLPHVS III. DVX ET ELECTOR SAXONIAE FILIVS MAIOR NATV DVCIS WENCESLAI ELECT.

VIII.

ANNO MCCCCXXIX. OBIIT CECILIA RELICTA VIDVA WENCESLAI DVCIS ELECTORIS SAXON. FILIA FRANCISCI VICARII IMPERIALIS IN PADVA.

IX.

ANNO MCCCCXXII MORTVVS EST ALBERTVS DVX SAXONIAE ELECTOR IN FAMILIA ANHALDINA VLTIMVS.

Huc accedit loculentum teſtimonium Alberti Cranzii, qui, poſt extinctam familiam Electorum Saxoniae Anhaltinorum, Ericum ducem inferioris Saxoniae longin-

qua

qua cognatione iis coniunctum, ut ius ſucceſſionis in Electoratu ad ſe pertinere, demonſtraret, titulum Electoris ab iis uſurpatum ſibi ſumpſiſſe, refert. Verba illius haec ſunt: *Albertus Dux ſuperioris Saxoniae dictus de Wittenberge, Princeps elector, ſine ſuo et legitimo herede diem ſuum obiit, et de ſucceſſione iam quaerebatur. Ericus Dux inferioris Saxoniae longo licet interuallo fratruelis eius nepos, legitimam ſucceſſionem ad ſe pertinere non ambigens, titulum Saxoniae, quem ſemper habuit, adauxit, ut Dominum de Wittenberge et principem electorem ſe ſcriberet et gereret.* Ex quo haud obſcure patere, exiſtimo, conſuetudinem *ſe ſcribendi Electorem*, quam Ericus imitatus eſt, iam ante apud Electores Saxonicos familiae Anhaltinae fuiſſe receptum.

§. 6. Fateor interim, diplomata ipſa, in quibus Anhaltini eum ſibi titulum tribuerunt, nondum adhuc mihi uiſa eſſe, imo ne in epitaphiis quidem illum ab anno 1273. conſtanter retentum, ſed interdum iterum omiſſum fuiſſe. Nam, ut alia taceam, in epitaphio Agnae uxoris Alberti II. Electoris Saxoniae Ann. 1322. defunctae maritus nonniſi *Dux Saxoniae* appellatur. Verba integra monumenti haec ſunt:

DOMINA HAGNAE VXOR ALBERTI II. DVCIS SAXONIAE FILIA IMPERAT. RVDOLPHI MORTVA EST MCCCXXII.

Idem in epitaphiis Iuttae et Hagnae uxorum Rudolphi I. Electoris Sax. cernere licet, quae ita ſe habent:

ANNO MCCCXXVIII. MORTVA EST DN. IVTTA DVCISSA SAXONIAE RVDOLPHI I. CONIVNX FILIA MARCHIONIS OTTONIS LONGI, MATER DVCVM SAXONIAE ALBERTI OTTONIS, IOHANNIS ET RVDOLPHI.

ANNO

ANNO MCCCXLIII. IX. MAII MORTVA EST DOMINA HAGNE, DVCISSA SAXONIAE, QVAE FVIT SOROR COMITIS DE LINDAV, VXOR RVDOLPHI DVCIS SAXONIAE, MATER DVCIS WENCESLAI.

§. 7. Quid quod, ſi in Electorum Brandenburgenſium hiſtoriam tranſire uelimus, ab his ante ſeculum XV. titulus Electoris aut nunquam, aut certe non conſtanter uſurpatus eſt: ut non falſo Petrus Albinus aſſeruiſſe uideatur, primum inter illos Albertum Achillem, literis publicis eum praefixiſſe. Interim tamen ante hunc in epitaphio Friderici II. fratris atque anteceſſoris Alberti Achillis Anno 1471 Heilsbronnae conditi, deprehenditur. Verba eius uernaculo ſermone concepta haec ſunt:

Anno Domini 1471. am Sonntag nach Scholaſtica Tag iſt der Durchlauchtigſte Hochgebohrne Fürſt und Herr/ Herr Friedrich/ Marggraff zu Brandenburg des heiligen Römiſchen Reichs Ertz-Cämmerer und Churfürſt/ zu Stettin Pommern der Caßuben und Wenden Hertzog/ Burggraf zu Nürnberg und Fürſt zu Rugen ꝛc. geſtorben / der unſer; lieben Frauen Berg zu Brandenburg geſtifftet hat / daſelbſt man die Brüderſchafft der Seelen-Geſellſchafft begehet. Des Seel und aller der Seel/ die in dieſer Brüderſchafft verſchieden ſeind / der allmächtige GOtt barmhertzig ſei.

Quod uel propterea recitandum putaui, quia fortaſſe primum eſt inter epitaphia Electorum Brandenburgenſium hoc titulo inſigne. Certe in proxime antecedentis Electoris Friderici I. Anno 1440. defuncti monumento ſepulchrali, quod eodem loco oſtenditur, iſte deſideratur. En ipſa huius uerba:

Anno Domini 1440. an Sanct Matthes Evangeliſten Tag da ſtarb der Durchlauchtigſte Hochgebohrne Fürſt und

und Herr/ Herr Fridrich Marggraf zu Brandenburg/ des heilgen Römiſchen Reichs Ertz-Cämmerer und Burggraf zu Nürberg / der hie begraben liegt / den GOtt genädig ſey / Amen.

§. 8. Plura aliis, quibus interiora documenta ad ſingulorum Electorum hiſtoriam ſpectantia patent, obſeruanda et colligenda relinquo, hic ex domeſticis primas ſaltem lineas duxiſſe contentus. Interim uel ex his ipſis certas quasdam aſſertiones originem et progreſſum non modo tituli, ſed et ipſius dignitatis ac muneris Electoralis aliquo fortaſſe modo illuſtraturas deducam.

I. Nomen Electoris in germanis monumentis ante Friederici II. Imp. tempora de VIIuiris Officialibus aut nunquam, aut certe non alia, quam communi eligendi ſignificatione occurrit.

Probatur hoc 1. a priori, ut cum philoſophis loquar, ex ipſa hiſtoria originis Electorum cum ſolitariorum tum praecipuorum. Nam ne hos quidem Friderici II. imperio antiquiores eſſe, ſupra demonſtratum eſt. Itaque nec nomen Electoris, qua praecipuam ac eminentem aliquam in eligendo Imperatore poteſtatem ſignificat, antiquius eſſe, conſequitur. 2. a poſteriori per inductionem omnium locorum ac teſtimoniorum, quae hucusque etiam a diligentisſimis inueſtigari potuerunt. Nam Onuphrius Panuinius, qui hoc animo omnes, quorum ei copia fuit, ſcriptores rerum Germanicarum percurrit, nullam uocabuli huius mentionem ante annum 1274. reperire potuit *Lib. de Comit. Imperat. p. 401.* Et Leibnizius, qui poſt multos alios ea de re ſollicitus fuit, tamen ultra annum 1256. aſcendere non potuit, quo ſcilicet in literis Alexandri IV. P. R. primam Electorum mentionem iniectam eſſe, arbitratur *Cod. Iur. Gen. Dipl. p. 10.*

Q *II Vi-*

II. *Titulus Electoris ante electionem Rudolphi I. Habſpurgici Anno 1273. factam ab officialibus nunquam uſurpatus eſſe uidetur.*

Quoniam uniuerſales aſſertiones periculoſae eſſe ſolent, praefracte quidem negare nolim, ullum antiquius monumentum Electoris cuiusdam domeſticum reperiri poſſe, quod titulum hunc contineat: cum praeſertim ipſius electionis ſolitariae fundamenta iam in interregno imperium Rudolphi I. proxime antecedenti iacta fuiſſe, agnoſcam. Interim tamen illud mihi ueriſimillimum uideri, fateor. 1. quia nunquam antea ſoli Officiales actum electionis exercuerunt. Ius uero iſtud nondum plene firmatum publice iactare inconueniens omnino et inuidioſum fuiſſet. 2. Mihi certe uocabulum Electoris in nullo non tantum diplomate Electorali, ſed ne monumento quidem ſepulchrali imperium Rudolphi antecedenti occurrit. Nam primum, in quo illud obſeruare licuit, epitaphium anno 1273. eodem ſcilicet, quo Rudolphus Imp. electus fuerat, Hagnae Alberti II. Electoris Saxonis coniugi poſitum eſt, quamuis in ſequentibus quibusdam iterum omittatur, ut paulo ante indicauimus. 3. Integer ac plenus ipſius Alberti II. Electoris Ann. 1267. defuncti titulus hic tantum fuit: *Nos Albertus Dei gratia Saxoniae, Angriae, Veſtphaliae Dux, comes in Bren et Burggrafius Magdeburgi*, in diplomate apud Becmannum *Hiſt. Anhalt. P. III. p. 147.*

III. *Conſuetudo Electoris titulum uſurpandi potiſſimum poſt Caroli IV imperium inualuit.*

Ratio huius aſſertionis in promptu eſt, cum, ab hoc Imperatore iura Electorum ſcripta ac fundamentali lege confirmata eſſe, inter omnes conſtet. Itaque ex eo tempore citra omne inuidiae periculum titulus Electoris adhiberi potuit. Nec uero facile literas ſiue diplomata cu-

ius-

iusdam Electoris ante Caroli IV. imperium, editamqne Aueam Bullam inuenies, quibus ille fuerit praemiſſus.

CAP. VII.

IN QVO PRAECIPVAE DE ORIGINE ELECTORVM OPINIONES INTER SE, ET CVM VERA SENTENTIA COMPARANTVR.

§. 1.

Venio nunc ad ultimum momentum, ſed quod in hac opera non poſtremo loco mihi propoſitum fuit, ut ſcilicet praecipuae aliorum de eodem argumento opiniones inter ſe, et cum uera ſententia comparentur. In quo non quidem exactam omnium inter ſe conciliationem polliceor, quam ſane in tanta uarietate ac diſſenſione uix optare licet, ſed hoc ſaltem me praeſtiturum confido, ut, quid ſingulae, aut certe praecipuae ueri uel falſi habeant, ex quo fonte manarint, qua occaſione arreptae ſint atque defendi coeperint, clarius perſpiciatur.

§. 2. Quod ſi ergo primum, quid famoſiſſimae illi et per tantum temporis interuallum communiſſimae opinioni de Electoribus ab Ottone III. Imp. et Gregorio V. Pontifice Romano conſtitutis originem dederit, requiras, miſſis aliorum coniecturis, ueriſimillimum iudico, decretum Ottonis III de Imperatore Romanorum *Germanico, et a ſolis Germanis eligendo* quod ſub finem ſeculi X factum, et a Gregorio Pontifice Ottonis III. agnato confirmatum eſſe creditur, pro inſtitutione ipſius collegii VIIuiralis arreptum fuiſſe ab iis, qui ſtatum ſeculi X et XI ex ſuae aetatis condicione aeſtimarunt. Huiusmodi enim decretum ab eo, quem dixi, Imperatore factum eſſe, praeter Iornandem, Rudolphum de Columna, Leopoldum Bambergenſem, Nic. Cuſanum, Franc. Irenicum, etc. ab Heigio *in Quaeſt. Iuris V. §. 14.* citatos, Huldericus Mutius

Chron. German. lib. XIV. p. 107. Flauius Blondus *Hiſtor. Dec. II. Lib. 3.* B. Platina *de Vitis Pontificum, in Gregor. V.* Io. Cuſpinianus *de Caeſaribus in Ottone III.* M. Ant. Sabellicus *Ennead. IX. Lib. 2.* Io. Cario *Chron. in Ottone III.* Nic. Serrarius *Rerum Mogunt. Lib. I. c. 26.* Cyriacus Spangenberg. *Chron. Saxon. cap. 154. p. 227.* Caeſ. Baronius *in Ann. ad ann. 996. n. 50.* Iac. Aug. Thaunus *Hiſt. Lib. II. p. 99.* et Io. Strauchius *Exercit. Exot. IV. §. 4.* ut alios recentiores praetermittam, magno conſenſu affirmant. Neque aliud mihi reſpexiſſe uidetur Albertus Archiepiſcopus et Elector Moguntinus, cum in comitiis Imperatoriis poſt mortem Maximiliani I. habitis ita uerba faceret: *Ad Gallum quod attinet, legibus noſtris et iureiurando nos arbitror impediri. Eſt enim diſerte conſtitutum, ne externo, ſed Germanico Principi Imperium commendemus, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur.* apud Georgium Sabinum *de Elect. Imperat.* in *Polit. Imper.* Goldaſti *Part. I. p. 128.* et Sleidan. *Comment. de Statu Relig. Lib. I. p. 20.* Et ſane ab illo tempore nullum niſi Germanum et a Germanis electum imperio potitum eſſe, inter omnes conſtat, tametſi turbato reipl. ſtatu, in quo leges ſilere ſolent, exteri quidam fuerint electi.

§. 3. Neque uero eſt, quod legem ſcriptam hic requiramus, aut propterea, quod conſtitutio illa conceptis uerbis expreſſa hodie oſtendi nequeat, eam nunquam factam eſſe, negemus. Nemo enim facile illud poſtulabit, qui meminerit, quam paucae leges ſcriptae Germanorum ex antiquis illis temporibus ad nos peruenerint, adeo, ut Conringius ante ſeculum XIII. nullam prorrus in literas relatam fuiſſe, arbitretur Leg. *L. de Origine Iuris Germ. Cap. XXV. ſeqq.* Quid igitur obſtat, quo minus de huiusmodi Ottonis III. conſtitutione tot eruditis uiris tantisper fidem habeamus, donec contrarium idoneis argumentis demonſtretur?

§. 4.

§. 4. Quod uero ex hac ipſa conſtitutione, quocunque tandem loco numeroue habeatur, fabula de collegio Electorum VIIuirali orta fuerit, uel inde probo, quod plerique omnes poſteriorem aſſerentes, eam cum priori coniungant, imo aperte inde deducant. Lege omnino et perpende uerba Flauii Blondi, B. Platinae, M. Ant. Sabellici, H. Mutii, et Io. Caſpiniani, ſupra cap. II. §. 1. recitata, quae breuitatis ſtudio hic repetere ſuperſedemus. Cautior tamen inter hos ac prudentior ceteris fuit Sabellicus, qui, cum legem illam Ottonis III. recenſuiſſet, utrum illa ſpeciatim ad VIIuiros uel certos quosdam Principes Germaniae reſtricta fuerit, addubitat, et in medio relinquit: etſi in eo notandus, quod legem ab Ottone III. ex conſenſu Pontificis latam huic ſoli abſcribat.

§. 5. Ne me primum aut ſolum iſtius coniecturae auctorem eſſe, putes, habeo mecum in hac parte conſentientem Mich. Beutherum cuius in *Animaduerſionibus Hiſtoricis Cap. XIII. pag. 221. 222.* uerba de Ottone III. haec ſunt: *Conſilium cum ipſo* (Gregorio V. Pontifice) *non multo ante mortem ſuam iniit, Romaeque magna frequentia, aſſentiente Pontifice, imo ſanciente ac promulgante, decretum tulit, atque conſtituit, ut in futuram ius omne et poteſtas eligendi Rom. Imperatorem eſſet penes ſolos Principes Germanos, nec liceret Romano Epiſcopo quenquam proclamare imperatorem, niſi quem proceres Germaniae ad id faſtigium dignati eſſent, poſtulaſſent, euexiſſent. - - - Qua de re nullibi extat controuerſia, ſed hiſtorici unanimiter conueniunt omnes. Quod uero ex iisdem plerique tam exteri, quam Germani Annalium ſcriptores, qui intra CC. plus annos uixere, uno quaſi ore tradunt ulterius, ſeptem in Germania Principes Electores ſimul eodemque tempore*

 fu-

fuiſſe ab hoc Pontifice et Ottone III. Imperatore deſignatos, et non alios, quam qui iam ſunt, neque plures, neque pauciores, minime recipiendum eſſe affirmo.

§. 6. Alteram, ſed minus famoſam de origine Electorum ſententiam illam eſſe, oſtendimus, qua haec ab Henrico II. proximo Ottonis III. ſucceſſore deducitur. Eam uero non incommode Nauclerus cum priori ita conciliat, ut, quod ab Ottone III. primum fuerat conſtitutum, tempore Henrici II. primum executioni mandatum fuiſſe, arbitretur. Conf. Cap. III. §. 5. Cui conciliationi libenter ſubſcribemus, modo pro Electoribus, quos ille intellexit, VIIuiris et ſtrictisſimo ſenſu acceptis, latisſime ſic dicti, puta uniuerſi Germaniae Principes iure ſcilicet eligendi Imperatoris Romanorum priuatiuo eo tempore praediti ſubſtituantur.

§. 7. Opinioni prorſus ſingulari Theodorici a Niem, qua proxime ante Conradi II. imperium, decretum de VIIuiris Electoribus factum eſſe, putat, illud locum feciſſe uidetur, quod Conradus hic, poſt extinctam Imperatorum Saxonicorum familiam primus liberrimis procerum Germanicorum ſuffragiis, nulla prorſus hereditariae ſucceſſionis ratione habita, fuerit electus. Tametſi enim iam ante, imo inde a Caroli M. temporibus regnum Francicum ac Germanicum electiuum fuerit, ita, ut nemo niſi ex procerum conſenſu, ad illud eueheretur, non tamen fas erat populo non conſentire in eum, qui ex regio ſanguine ſuperſtes erat regendae reipublicae idoneus. Vnde Conringius, et cum eo Er. Mauritius ſucceſſionem illam ex electitia et hereditaria mixtam appellant. Leg. huius *Diſſ. de Orig. Elector. Cap. I. §. 1.*

§. 8.

§. 8. Proxima eſt eorum ſententia, qui initium collegii Electoralis ad Friderici I. Aenobarbi tempora referunt. Cui etſi prorſus accedere non poſſim, tamen ueri aliquid ſubeſſe, facile agnoſco. Conſtat uidelicet, et ſupra indicatum eſt, praecipuam occaſionem et quaſi fundamentum iuris Electoralis ad VIIuiros reſtringendi fuiſſe Officia, quae uocantur, Aulae et Cancellariae. Hoc uero fundamentum ipſius Friderici I. auſpicio potisſimum iactum eſt. Etſi enim huiusmodi Officiorum iam inde a conſtituto Imperio Romano-Germanico, ueſtigia quaedam apud ueteres ſcriptores occurrunt, illa tamen ſub hoc demum Imperatore in uſum reuocata, ſtabilita, certisque ſedibus ac familiis attributa fuiſſe, Conringius *in Exercit. de Officialibus Imperii §. IX, X, XI, XIV, XV.* ex inſtituto demonſtrat. Itaque ut ſaepe alias in hac controuerſia iura Electoratus cum Officiis illis, quoniam ſcilicet utraque hodie penes eosdem Principes ſunt, confuſa eſſe, deprehendimus, ita ſimile quippiam ab eius, quam dixi, ſententiae auctoribus uidetur admiſſum.

§. 9. Opinio, quae Ottonem IV. Collegii Electoralis auctorem facit, aperte falſa eſt, et ne ſpeciem quidem ueri habet. Fontem tamen eius erroris, qui tam multis, quod mireris, et eruditis etiam uiris impoſuit, iam ſupra Cap. III. §. 7. aperuimus.

§. 10. Illi, qui in Friderici II. tempora originem Electorum incidere putant, eoque trahunt teſtimonia mentionem Electorum Rudolphi electione antiquiorem complectentia, parum attendunt, diſcrimen inter Electores praecipuos ac ſolitarios, quod in hac controuerſia omnino

no fundamenti loco erat conſtituendum. Illorum ſcilicet initia ueriſimiliter admodum in iſtius Imperatoris aetatem conferri, facile concedimus: hos uero iam tum coepiſſe, aut floruiſſe, negamus.

§. 11. Proxime uero ad noſtram ſententiam accedit Auentini et Onuphrii Pauuinii de hoc argumento iudicium. Nam quod 1) iuxta illos, Electores VIIuiri non ab Ottone III. ſed poſt fata demum Friderici II. 2) inter annum Chriſti 1250. et 1280. eſſe coeperint, utraque manu amplectimur. Sed in eo tamen diſſentimus, quod iſti 1) certam de VIIuiris Electoribus conſtitutionem promulgatam eſſe, ſupponant, nos contra initium illorum a facto, ſed tacito tamen omnium conſenſu approbato deducamus. Vnde 2) illi certum tempus deſignare non audent, ſed *intra annum 1250 et 1280. inſtitutionem illam exortam fuiſſe*, ſcribunt, nos in hoc interuallo annum 1273. quo prima electio a ſolis Officialibus facta eſt, nominatim, exprimimus, licet, ſuperiori tempore electionis huius funda-menta iacta, et quasdam ueluti praeluſiones factas eſſe, facile concedamus. 3) Quod illi addunt de Pontificis Romani uel concilii Lugdunenſis confirmatioue, tanquam falſum et nullo prorſus fundamento nixum, reiicimus.

§. 12. Ceteri ſcriptores, qui hic ad conſuetudinem prouocant, in eo plerique nobiscum conſentiunt, quod haec ultra Friderici II. aetatem non ſit extendenda. Solus fere H. G. Thulemarius terminum iſtum nimis tranſiliiſſe uidetur, dum usque ad Friderici I. imperium aſcendit: cuius tamen rationes tanti non eſſe, ut nos de ſententia noſtra detrudant, ſupra modeſte demonſtratum eſt.

§. 13.

§. 12. Denique nec illi, qui primordia illuſtriſſimi huius collegii in Caroli IV. temporibus quaerunt, omni fundamento uidentur eſſe deſtituti. Nam ut taceam, quod omnibus notum eſt, per Auream Bullam huius Imperatoris, ius Electorale ſolitarium legis fundamentalis uim et auctoritatem obtinuiſſe, ante eius tempora 1. de ſucceſſione et hereditate Electoratus inter diuerſos unius familiae Electoralis Principes ſaepe controverſiae oriebantur, quarum ueſtigia ſupra potiſſimum inter Comites Palatinos Rheni et Duces Saxoniae paſſim obſeruauimus. Has uero diſſenſiones, ob quas olim plures aut ſimul, aut alterna uice ius eligendi ſibi uindicabant, Aurea Bulla funditus ſuſtulit, dum *Imperiali auctoritate perpetuis temporibus ualitura decreuit, ut poſtquam Principes ſeculares et eorum quilibet eſſe deſierit, ius, uox et poteſtas electionis huiusmodi ad filium ſuum primogenitum, legitimum, laicum; illo autem non extante, ad eiusdem primogeniti primogenitum ſimiliter laicum libere et ſine contradictione cuiuſpiam deuoluatur. Si uero primogenitus huiusmodi absque heredibus maſculis, legitimis, laicis ab hac luce migraret, ius, uox et poteſtas electionis praedictae ad ſeniorem fratrem laicum per ueram paternalem lineam deſcendentem, et deinceps ad illius primogenitum laicum deuoluatur. Cap. VII.* Etſi igitur ius Electorale iam ante Carolum IV. ad certas tantum familias pertinebat, hic tamen primus illud ad certos etiam harum familiarum heredes reſtrinxit. 2. Neque ordo certus et ſtabilis, quo ſeinuicem exciperent Electores, conſtitutus erat. Vt ergo litibus ac controuerſiis de loco honoratiori orituris occaſio praecideretur, lege Carolina primum ſancitum eſt: *ut Archiepiſcopus Treuirenſis ex oppoſito et lineari directione uerſus Imperatoris faciem: Moguntinenſis uero in ſuis dioeceſi et prouincia, et extra prouinciam ſuam in toto cancellariatu ſuo Germanico, prouin-*

cia Colonienſi duntaxat excepta : et demum Colonienſis in ſuis Dioeceſi et prouincia, et extra prouinciam ſuam in tota Italia et Gallia in dextro latere Rom. Caeſaris ſedere poſſint, ualeant et debeant. Cap. III. Et de ordine locoue Electorum ſecularium : *ut ubi Imperatorem uel regem Romanorum cum principibus Electoribus ſedere contigerit, a dextro latere Imperatoris uel regis Romanorum immediate poſt Archiepiſcopum Moguntinum uel Colonienſem, quem lateri dextro Imperatoris aſſidere contigerit, rex Bohemiae, cum ſit princeps coronatus et unctus, primum, et poſt eum comes Palatinus Rheni ſecundum ſedendi loca debeant obtinere. Ad ſiniſtram uero partem immediate poſt illum, quem ex praedictis Archiepiſcopis in latere ſiniſtro ſedere continget, primum locum Dux Saxoniae, et poſt eum Marchio Brandenburgenſis alterum obtineat. Cap. IV.* Quid quod hanc aut ſolam, aut praecipuam certe promulgandae A. B. cauſam fuiſſe, *ut contentiones de praecedentia tollerentur*, cum ex ipſis huius uerbis, tum ex Dubrauio aliisque demonſtrat Arumaeus *in Diſcurſ. ad Aur. Bullam Quaeſt. VI. p. 9.* Si quis ergo collegium Electorale cum hoc ordine et ſucceſſionis ſiue hereditatis iure per Auream Bullam primum inſtitutnm fuiſſe, affirmauerit, is, quantum ad hanc reſtrictionem attinet, nihil falſi uel abſurdi dixiſſe uidetur. Et hoc ipſum ſine dubio reſpexit Mich. Beutherus, quando *nusquam ante Carolum IV. Aureae Bullae fundatorem ſeptem ſimul Electorum, ſecundum iſtam ſeriem familiarum et ordinis apud hiſtoriographos mentionem fieri*, affirmat, *Animaduerſ. Hiſt. cap. XII. p. 225.* Interim cum ordo atque ſucceſſionis modus non eſſentiam iuris Electoralis ſolitarii conſtituant, ſed externae tantum eius περιςάσεις, ſiue, ut cum philoſophis loquar, accidentia ſint, errant omnino, qui propterea, Electores VIIuiros ab hoc demum Imperatore conſtitutos eſſe, affirmant.

Nam

Nam et certum numerum, et iura eorum propria temporibus his antiquiora eſſe, ex ſupra diſputatis abunde conſtat.

§. 13. Parum aberat, quin obliuiſcerer, et fortaſſe non magno cum rei literariae damno, aut huius argumenti defectu, diſputationis in uicina quadam Academia ante paucos annos editæ, et a Magnif. Hoſpite meo D. C. H. Hornio, ICto celeberrimo et Conſiliario Regio ſplendidiſſimo, de hoc etiam ſtudiorum genere immortaliter merito, una cum praeſtantioribus ad inſtitutum hoc praeſidiis beneuole ſuppeditatis, mecum quaſi per iocum communicatae, quae *de Originibus Electorum Chriſti natiuitate non iunioribus* inſcribitur, addita explicatione Germanica: **Von der Churfürſten Erſtern biß zu / ja über Chriſti Geburth hinauffkommenden Urſprung.** Huius auctor in omnibus ſiue ueterum ſiue recentiorum ſcriptorum locis, ubi ante uel proxime poſt Chriſtum natum reges aut principes electi, aut ex conſenſu et uoluntate ſubiectorum, imperium obtinuiſſe dicuntur, Electores ſibi inueniſſe uidetur. Sed ſi ita in re ſeria ludere licet, miror, eum origines has, ut aliquid acutius et magis paradoxum diceret, non potius ad Nimrodi tempora retuliſſe, cum hunc quoque non ſine ſubiectorum conſenſu et uoluntate imperium ſuum auſpicatum fuiſſe, ueriſimile ſit. Sin uero per Electores certi quidam Germaniae Principes iure eligendi regem et Imperatorem Romanorum ſolitario et priuatiuo praediti intelligantur, nemo non intelligit, ſine omni fundamento, imo contra omnem hiſtoriae fidem, eos a temporibus nati Seruatoris deduci: cum, illis nullum adhuc Imperium Romano-Germanicum extitiſſe, inter omnes conſtet. Sed omnes huius generis opiniones iam ſupra cap. I. ab inſtituto noſtro remouimus.

DIPLOMATA
ORIGINEM COLLEGII ELECTORALIS ILLVSTRANTIA, QVORVM IN HAC COMMENTATIONE MENTIO FACTA EST.

I.

Acta Electionis Conradi IV. Romanorum regis, filii Friderici II, quae in annum 1233. *uel* 1234. *incidunt, et aliquid de Electoribus innuere uidentur.*

1.

EXpectatio gentium Ieſus Chriſtus, quem mittendum ſacra Prophetarum oracula praedixerunt, auferens ſceptrum de Iuda, et ligans ad uineam pullum ſuum, hoc eſt ad nouae plantationis Eccleſiam Romanam Imperium alligans, in ipſius clypeo tutelam noſtrae fidei poſitam manifeſtiſſime praeſagiuit. Probat hoc clarius ſequentium rerum euentus, interpres cuiuslibet et probatio certa praeſagii, dum nedum imperio patiente naufragium, ſed nutante ſolummodo, ſpumoſis incurſibus procellarum, interdum haereſium gramina, quae materialis imperii ſerta non reſecant, in demolitionem uineae Domini Sabaoth pernicioſe ſuccreſcunt; dum inexcuſabilis itaque negligentiae uitio manifeſte conuincitur, qui tam nobile fidei fulcimentum qualibet hominis prouiſione non adiuuat, ſed conquati patitur, quaſi fidem non diligat, qui fidei negligit armaturam. Nec tamen hoc ad quorumcunque fidelium culpam aut notam iuſte reducitur, ſed illorum potiſſime negligentiam condemnat, ad quos diuina ſententia ſeu more maiorum uis et auctoritas huiusmodi pertinere noſcuntur. Nam quanquam in urbis initiis, poſt memorabile Troianorum exitium, et deletam tam inclitam ciuitatem (apud)

caput

caput illius nouae congregationis Patrus (Patres) ſummi regis poteſtas et imperialis creationis ſuffragium reſideret, ex ſucceſſiuis tamen et continuis incrementis Imperii poſtmodum caleſcente uirtute, tantae fortunae faſtigium apud unicam ciuitatem prae ceteris Regionem non potuit contineri: ſed poſtquam etiam remotiſſimos terminos quadam gyrouaga peragratione luſtrauit, tandem *apud Germaniae principes* non minus probabili quam neceſſaria râtione permanſit, ut ab illis origo prodiret Imperii, per quos eiusdem utilitas et defenſio procuratur.

§. 2. Cum igitur nos, et qui circa hoc Romani ſenatus locum accepimus, *qui Patres et Imperii lumina reputamur*, coram tremendo iudice de cura tantae uillicationis oporteat reddere rationem, nobiſcum ſollicita meditatione penſantes, quod tantum negotium non tam ſortis iudicio, quam induſtria prouiſionis indigeat, illud etiam diligentius attendentes, quod poſt unius regnantis occaſum, interſtitium temporis inter praedeceſſoris obitum et plenum dominium ſucceſſoris, quod interregnum ueteres appellabant, grande poſſet imperio, ſed et Catholicae fidei maximum afferre diſcrimen, praeuenire ſalubrius tempus eligimus, quam diſpendium temporis expectare. Nam licet per uires et labores excellentiſſimi Domini noſtri Friderici, cuius uitam et imperium cupimus, ſatis ad praeſens imperio ſit prouiſum, quia tamen præeminentia dignitatis longioris uitae beneficium regibus non concedit, praeſentis uitae lubricum merito formidantes; ipſo uiuente ſalubriter et regnante feliciter, de ſucceſſoris nobis electione praeuidimus, ne per eius interitum iuſtitia diminutionem ſtatus pateretur, imperium et tranquillitas interiret. Et cum de ſubſtituenda perſona diligenti meditatione nobiſcum et ſollicite penſaremus, praeteritorum cauta praeuiſio ſalubre conſilium praebuit in futuris.

§. 3. Conſiderationibus etenim noſtris occurrit, qualiter diui Caeſares progenitores Imperatoris eiusdem, qui longis retro temporibus imperio praefuerunt, non ſolum ut domini, iuſtitiae ſolium inclite tenuerunt, ſed tanquam patres Imperii,

 pater-

paternae dilectionis zelum ad omnes et ſingulos habuerunt: qualiter nec perſonarum periculis, nec rerum parcendo diſpendiis, et plerunque per dubia bellorum diſcrimina, imperii noſtri fines in citramarinis partibus produxerunt. Propter quod parentum laboribus fraudari filios noluere maiores. Nos ipſorum ueſtigiis laudabiliter inhaerentes, praeſentem Imperatorem, quem in exaltationem Romani nominis et dignitatis auguſtae praedeceſſorum ſuorum uerum ſucceſſorem agnoſcimus, et filium experimur, in ſobole ſua ſimili retributione decreuimus honorare, et ut dudum, filium eius ex nunc in futurum Imperatorem noſtrum poſt eius mortem aſſumimus; ut iuſte pro imperio pater hactenus laboraſſe ſe gaudeat, laboretque libentius a modo; uelut laborum ſuorum fructus non relicturus extraneo, ſed ex communi uoto parentum, filio paraturus. Sicque nos, inſpirante nobis tam ſalubre conſilium gratia ſummi regis, ad uocationem et preces eiusdem Domini noſtri Imperatoris apud - - - locum unanimiter *uota noſtra contulimus in Conradum, antedicti Domini Imperatoris filium*, *regni Hieroſolymitani legitimum ſucceſſorem*; *eligentes ipſum ibidem in Romanorum regem, et in futurum Imperatorem noſtrum poſt obitum patris habendum,* ac etiam debita eidem fide data praeſtantes ad illud obtinendum imperii diadema, et ſibi, prout de iure tenemur, conſilium et auxilium impendemus. Et licet *Henricum primogenitum ſuum pridem nobis in regem ſimili prouiſione duxerimus eligendum,* quia tamen, cum in honore eſſet, non intellexit, ſed ab aquilone ſedem ſibi conſtituens contra patrem, loco tanti regiminis ſe monſtrauit indignum; iuſto patris iudicio, et eius ultronea uoluntate, quam ſibi conſcientia propriae transgreſſionis ingeſſit, ab eodem Henrico ſoluti praeſtito iuramento, quod de electione ſua ſimiliter feceramus; Henrico Conradum, uelut Dauid Sauli, ſancta deliberatione prouidimus ſubrogandum.

Extant apud Leibnizium Cod. Iuris Gent. Diplom. Prodr. p. 9.

II. *Ale-*

II.

Alexandri IV. Pontificis R. Epiſtola ad Gerardum Archiepiſcopum Moguntinum de non eligendo ſub poena excommunicationis Conrado (uulgo Conradino) Imp. Friderici II. nepote, ſcripta A. 1256. quae antiquiſſimam Electorum mentionem continet. Eiusdem exempli literas ad Treuirenſem et Colonienſem Archiepiſcopos miſſas fuiſſe, in tabulario et Regeſto Pontificis huius annotatum eſt.

§. 1. Alexander IV. etc. Archiepiſcopo Moguntino etc. Intelleximus, quod inſtat tempus electionis celebrandae de rege in Imperatorem poſtmodum promouendo: ſuper quo eo propenſior adhibenda eſt diligentia et cautela, quanto altius et difficilius eſt negotium, quod geritur in hac parte; quantoque res, ſi aliqua in re interuenerit negligentia ſeu improuidentia uel deſidia, deteriorem habere poſſet effectum, et exitum noxiorem. Vnde hic uehementer uigilandum eſt, hic perſpicaciter intuendum, hic conſiderandum prudenter, hic mature deliberandum, hic prouide praecauendum, hic aperiendi ſunt oculi, hic habendae ſunt aures intentae, hic mens eſſe debet non rudis et torpida, ſed diligens, peruigil et conſulta, ubi de Aduocato Eccleſiae agitur: ne pro Aduocato impugnator, & pro defenſore eligatur offenſor.

§. 2. Qualiter autem quondam Fridericus olim Rom. Imperator et ſui progenitores erga matrem Eccleſiam ſe geſſerint, et qualem ei retributionem de beneficiis ab ipſa acceptis impenderint, patens eſt, et cognitum toti orbi; quoniam ii aliorum perſecutorum excedentes tyrannidem, grauioribus eam affecerunt iniuriis, et oppreſſionibus durioribus afflixerunt, et uelut in caedem et exterminium eius tendentes, furoris arcum et feritatis gladium acuentes, diris illam ubilibet tribu-

tribulauere flagellis, et usque ad interiora profundis illatis uulneribus ſauciarunt. Nam in hoc prauo genere patrum in filios cum ſanguine deriuata malitia, ſicut carnis propagine, ſic imitatione operum nati genitoribus ſucceſſerunt. Ex quo liquido perpendi poteſt et coniici, ſi ex ipſo aliquae poteſtatis reliquiae remanſerunt, quid ſperandum ſit in futurum de illis, quid in poſterum expectandum: uita namque et geſta praedeceſſorum peruerſa iniquitatem praenunciant ſucceſſoris, nec horribilis et ſceleſta eorum memoria quicquam boni de ipſorum poſteritate credere et ſperare permittit, de colubro quidem egreditur regulus, et arbor mala noxios fructus profert, prauumque principium nunquam bonum pollicetur effectum.

§. 3. Et ideo de Conrado puero, nato quondam Conradi praedicti Friderici filii eſt praecauendum omnino, ne ullo modo intendatur ad eum, nec *nominetur* ad hoc, nec aliquatenus *eligatur*; maxime cum propter infantiam ſit ad iſta prorſus inhabilis.

§. 4. Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus, hortamur attente, et per Apoſtolica tibi ſcripta in uirtute obedientiae ſub debito fidelitatis, quo nobis et Eccleſiae Romanae teneris, ac ſub poena excommunicationis, quam ex nunc in te proferimus, diſtricte praecipiendo mandamus, quatenus praefatum Conradum puerum nullatenus in regem nec nomines, nec conſentias in eundem; ita, quod excommunicatus exiſtas, ſi contra mandatum noſtrum facere uel uenire praeſumpſeris, et eundem Conradum *nominaveris* uel *elegeris*, aut in ipſum *conſenſeris*, ſeu opem uel operam, conſilium, auxilium, uel fauorem, ut eligatur, impenderis, ſcias, te prius excommunicatione ligatum. Aliis uero Coëlectoribus tuis tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus auctoritate noſtra firmiter inhibeas, ne ipſum ad hoc *nominent*, uel *eligant*, nec in eum *conſentiant*, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis ſententiam, ſi contra tuam hanc inhibitionem uenire tentauerint, imo noſtram. Ita quod ſi eum *nominare* uel *eligere*, aut in ipſum *conſentire* praeſumpſerint, noſcant, ſe prius excommunicationis uinculo innodatos, ut ex hoc ipſo ſi de praedicto puero

puero quicquam in hac parte attentatum fuerit, ſit prorſus uacuum, irritum, inane. Mandatum itaque ac praeceptum ſuper hoc Apoſtolicum ſic fideliter, ſapienter et efficaciter adimplere ſtudeas, omnem, imperii culmen poſtea euehendo, graues curas ſuſcipiendo, opem et operam adhibeas, ut aliquis fide clarus, et deuotione ſincerus, cui ad id ſuffragentur merita, eligatur, quod ex iis nos et Romanam Eccleſiam tibi et Eccleſiae tuae arctius obliges, nosque laetari poſſimus, id, quod in hoc intendimus, tuo ſolerti ſtudio, ſalubriter prouenisse.

§. 5. Adhaec nihilominus in omnes ELECTORES, qui memoratum puerum ad hoc nominare, eligere, ſiue in ipſum conſentire, aut opem uel operam, conſilium, auxilium, uel fauorem, ut eligatur, dare praeſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgamus, quam per te antequam ad nominationem uel electionem aliquam procedatur, reliquis tuis COELECTORIBVS praecipimus nunciari. Quod ſi non feceris, eo ipſo te noueris laqueo excommunicationis adſtrictum. Datum Anagniae V. Kal. Auguſti, Anno 2.

Extat apud Leibnizium l. c. p. 10.

III.

Vrbani IV. Papae epiſtola ad Richardum electum regem Ramanorum, de controuerſia electionis inter Alphonſum et Richardum, et argumentis utriusque partis. Continet antiquisſimam numeri Electorum mentionem.

§. 1. Vrbanus IV. etc. Richardo in Rom. regem electo. Qui coelum terramque regit, is nimirum coeli nouit ordinem, et in terra poteſt coeleſtis ponere originis rationem. Is exempla de ſuperioribus ad inferiora deriuans, ſicut in firmamento coeli duo luminaria magna conſtituit, ut mundum uicibus ſuis illuſtrent, ſic et in terris maxima dona ſua Sacerdotium uidelicet et Imperium, ad plenum ſpiritualium mun-

danorumque regimen, ad firmamentum Eccleſiae militantis inſtituens, utriusque poteſtatis ita diſcreuit officia, ut eorum officioſa diuerſitas nulla ſibi aduerſitate diſſentiat, ſed in commisſi executione regiminis ex officii debito in uoti unitate concordet, et ipſorum procul dubio profutura concordia alterutrius fulta praeſidiis ac utriusque mutuis fota fauoribus, opus iuſtitiae liberius operetur, pacem mundo pariens, tranquillitatem inducens, et nutriens unitatem. Imperium ſiquidem ad ſalutem ſacerdotali auctoritate dirigitur, et ipſius adiutum ſuffragiis ſedatis procelloſis interdum imminentium tempeſtatum turbinibus, tranquillum redditur et quietum. Sacerdotium uero pium et tutum debet haberè refugium Imperialem manſuetudinem, cum ſua ueneratione coniunctam, ut Imperii Romani faſtigium, et eius culmini praeſidens, ſpecialis aduocati et defenſoris praecipui circa Eccleſiam gerat officium, et in ipſius fortitudine bracchii defenſetur, Eccleſiae libertates, et iura manuteneantur ipſarum, extirpentur haereſes, cultus Chriſtianae fidei amplietur, et inimicis conſternatis eiusdem, in pacis pulchritudine ſedeat populus Chriſtianus et in requie opulenta quieſcat.

§. 2. Verum humani generis inimicus, pacis impatiens, amator litium, diſcordiae ſeminator, utriusque profectibus inuidens, clarae memoriae *VVilielmo Romanorum rege* rebus humanis exempto, inter te et clarisſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Caſtellae ac Legionis illuſtrem in Romanum Regem electum circa obtinendam eiusdem Imperii dignitatem contentionis materiam ſuſcitauit, ut uobis circa hoc contendentibus, careat imperialis regiminis commodis orbis terrae, et tanti bracchii, tam utilis, tam neceſſarii, tam chari carentiam ex ipſius imperii uacatione praedicta ſentiat. Sentit utique ſentit mater Eccleſia tam populi ſibi commiſſi, quam ſuam grauem de huius contentione iacturam, creuit namque peruerſorum audacia, et ipſorum abundante malitia, dum eodem uacante Imperio ipſi Eccleſiae defenſionis debita ſuffragia ſubtrahuntur, liberius peccatis inſiſtitur, haereſes pullulant, ſcandala ſuſcitantur, multiplicantur caedes et ſtrages, iniuriae

inua-

inualeſcunt, in perſecutionum turbinibus Petri nauicula fluctuat, et interdum, qui fidelium ipſius cenſeri nomine gloriantur, in arcum peruerſum, fideli debitum non uerſando, conuerſi, eam in ſuis iuribus iniurioſe impetunt et moleſtant, illa nunc denegando pro libito; nunc illicite occupando. Propter quod eadem Eccleſia non immerito huiusmodi uacationem deplorat Imperii et de animarum periculis, quae peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens ſuſpiria ingemiſcit. Ex eo inſuper quam dure, quam grauiter materna eius uiſcera quatiuntur, quod ipſa tam charos filios, tam inclitos principes in ſuo ſentiens utero collidentes, prudenter aduertit, tuam et praedicti Regis potentiam, in Chriſto blasphemos, et inimicos nominis Chriſtiani potentur et magnifice more ſolito exercendam, in proprium et grande domeſticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari. Haec ergo et alia incommoda diſſenſionis huiusmodi eadem Eccleſia materno penſans affectu in iis auxilii ſui dextram non ſubſtraxit, ſed uigilauit attentius, attentione ſollicita uigilanter intendit, multaque ſollicitudine peruigil laborauit, ut diſcriminibus tantis occurreret, teque ac ipſum Regem diſcordiarum dispendiis praeſeruaret.

§. 3. Et licet inter uos iudicis partes aſſumere non ſine cauſa diſtulerit, praeſertim cum tam tui, quam ipſius regis nuncii in recordationis felicis Alexandri Papae praedeceſſoris noſtri, noſtra et fratrum noſtrorum praeſentia conſtituti, ſuper praedictis iudiciarium ſedis Apoſtolicae examen expreſſe declinarint, dilectionem tamen huiusmodi illa etiam utilitatis utriusque partis conſideratio et paternae pietatis cautela pro uobis conſilium capiens perſuaſit, ut ueſtris animis ad hoc habilitatis, ad reformanda inter uos amicitiae foedera congruentia tempora captarentur, et remedia promptiora parerent, per quae, diſcordiae occaſione ſublata, uos glutinum ſolidae charitatis uniret; ac etiam ueſtrae ſoliditate concordiae, quam tractatus, qui ſuper hoc inter uos dicebantur haberi, promittere uidebuntur; ſub ſui Principis ducatu pacifico daretur eidem ſabbatiſmus Imperio, et ſedatis ſcandalis, ipſius

 ſubdi-

ſubditis quietis optata iucunditas proueniret, peſtis extermi-
naretur haeretica, animarum pericula uitarentur, Eccleſia Cae-
ſareo munita praeſidio et ab hoſtibus erepta de perſecutorum
incurſibus reſpiraret: ac eorum, qui ſub ſimulatae fidelitatis au-
dacia nocent fidentius, temeraria nocendi confidentia refrae-
nata, ſuorum iurium integritate gauderet. Haec quidem ha-
ctenus expectauimus anxii: haec deſiderauimus anxia expecta-
tione diutius, in his praedeceſſoris, noſtra et fratrum noſtro-
rum ſollicitudo non defuit, ſecundum Apoſtolicae circum-
ſpectionis iudicium de contingentibus nihil omittens.

§. 4. Et quanquam, ut uotis noſtris ſatisfieret in hac par-
te, hucusque non fuerit ex alto conceſſum, tamen ad id ſem-
per noſtra ſuſpirauit intentio, ad id plenis deſideriis anxiamur,
non proponentes a coeptis deſiſtere, quin circa negotium hu-
iusmodi ſub ſpe illius, qui facit magna et inſcrutabilia, qui fa-
cit concordiam in ſublimibus, proſequi pacis ſemitas intenda-
mus, quidquid per nuntios et procuratores partium coram
nobis nouiſſime his diebus propoſitum, petitum fuerit et re-
ſponſum. Et quidem uenerabilis frater noſter Laurentius
Epiſcopus, et dilectus filius Willelmus Archidiaconus Roſ-
fenſis, ac Robertus de Baro procuratores et nuntii tui, a te
plenariam poteſtatem habentes, ut in noſtro conſiſtorio tua pro-
ponerent negotia, et peterent cum ſolennitate, qua conueni-
ret, uocationem tuam ſolemniter ad coronam; ac uniuerſa et
ſingula circa haec gererent, agerent fideliter, ac procurarent,
quae per ueſtros nuncios ac procuratores ad hoc ſpecialiter
deputatos legitime poſſent agi, peti, et etiam procurari; co-
ram nobis, et eisdem fratribus proponere curauerunt *quaſ-
dam conſuetudines circa electionem noui Regis Romanorum in Impe-
ratorem poſtea promouendi, apud Principes uocem in huiusmodi ele-
ctione habentes, qui ſunt SEPTEM numero, pro iure ſeruari*; et fu-
iſſe hactenus obſeruatas a tempore, cuius memoria non exi-
ſtit: ſecundum quas infra annum et diem, poſtquam uacat Im-
perium, talis decet electio celebrari, quacunque parte ipſorum
anni et diei, quam ad hoc iidem principes duxerint deputan-
dam: et ad Archiepiſcopum Maguntinum, et Comitem Pala-
tinum

tinum Rheni, uel ipſorum alterum, altero nequeunte, uel forſitan non uolente, pertinet ad electionem ipſam celebrandam, diem praefigere, ac caeteros *electores* principes con-uocare. Quibus omnibus, uel ſaltem duobus ex ipſis die praefixa conuenientibus apud oppidum de Franckenford, intus uel extra ipſum oppidum, in terra quae dicitur *Franckeſerde*, (loca quidem ad hoc deputata ſpecialiter ab antiquo) ad electionem ipſam procedi poteſt et debet, ſecundum morem ipſius Imperii approbatum; et electione taliter celebrata, electus ſi electioni conſenſerit, ante Aquisgranum per dies aliquos facta mora, infra annum et diem poſt celebrationem eandem, quando electus uoluerit, *per Colonienſem Archiepiſcopum, ad quem id ex officio ſuo ſpectat, inungitur, conſecratur, et etiam coronatur*; quo facto cuilibet uia praecluditur contra electionem, uel electum, iam Regem Romanorum effectum, dicendi aliquid, uel etiam opponendi: ſed idem electus praedicto modo inunctus, conſecratus, et coronatus pro Rege habetur, et ei tamquam Regi debent a ſubditis iuramenta praeſtari, asſignari ciuitates, oppida, caſtra, et ſpecialiter caſtrum de Treueles, ac reliqua iura Imperii infra annum et diem a tempore coronationis eiusdem: ita quod ſi qui de Vaſallis Imperii ei homagia non praeſtiterint conſulta, et non reddiderint ciuitates, caſtra et alia ſupradicta; illis, quae ab Imperio tenent eodem, ſint eo ipſo priuandi.

§. 5. Et, ſi uotis Principum, ad quos ſpectat eligere, ad eligendum conuenientium, diuiſis in plures, duo in diſcordia eligantur, uel alter electorum per potentiam obtinebit, uel ad praedictum Comitem Palatinum tanquam ad huiusmodi diſcordiae iudicem, eſt recurſus habendus; ni forſan ſuper electione uel coronatione huiusmodi ſuborta diſcordia, per appellationem ad querelam praedictorum principum ad examen ſedi Apoſtolicae, quo caſu ipſius eſt in tali cauſa cognitio, deferatur. Intelligitur autem is electus eſſe concorditer, in quem uota omnium *Electorum principum*, uel ſaltem duorum tantummodo in electione praeſentium diriguntur. In diſcordia uero is etiam reputatur electus, de quo in loco non ſolito electio celebratur, et in termino de communi conſenſu dicto-

rum principum non ſtatuto; quem ſi forſan praedicti principes infra annum et diem a tempore uacantis Imperii concorditer ſtatuant, licet non expriment, quod ipſum peremtorium eſſe uelint, terminus tamen ab eis praefixus taliter peremptorius reputatur. Porro iidem Procuratores iis et aliis quibusdam praelibatis conſuetudinibus adiecerunt, quod uacante Romano Imperio, die per omnes praedictos Principes pro celebranda Regis Romani in Imperatorem poſtea promouendi electione ſtatuto in octauis Epiphaniae anno Domini MCCLVI. apud memoratum oppidum de Franckeford quinque tantum de dictis Principibus tum per ſe, tum per alios, uidelicet bonae memoriae *Colonienſis Archiepiſcopus* pro ſe, et bonae memoriae *Moguntinus Archiepiſcopus*, ea uice in hoc commiſerat uices ſuas; et dilectus filius nobilis uir *Comes Palatinus* apud Franckeſerd: bonae memoriae uero *Treuerenſis Archiepiſcopus*, et dilectus filius nobilis uir *Dux Saxoniae* intra dictum oppidum conuenerunt. Cumque iidem Treuerenſis Archiep. et Dux Saxoniae praefatos Archiepiſcopum Colonienſem et Comitem nec ipſum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire uellent, ſuper hoc ſaepius requiſiti: dicti Archiepiſcopus Colonienſis et Comes, attendentes, ex lapſu temporis periculum imminere, ſi forſan non fieret electio illa die, quae ad hoc fuerat peremptorie conſtituta; praeſertim cum de anno et die poſt uacationem Imperii quindecim dies ſolummodo ſupereſſent, infra quos nullo modo potuiſſent propter locorum diſtantiam, et alias facti circumſtantias praefati Principes iterum conuenire; *cum Praelatis, Ducibus et aliis ibidem praeſentibus, deliberatione praehabita, de ipſorum communi conſilio et aſſenſu ad electionem procedere decreuerunt:* et tandem praefatus Colonienſis pro ſe, ac dictis Moguntino, cuius uices gerebat, et Comite praeſente ac conſentiente, diuino nomine inuocato, te in Regem Rom. elegit, et mox electionem huiusmodi Magnatum et aliorum aſtantium copioſae multitudini publicauit.

§. 6. Cui electioni per chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum *Regem Bohemiae* illuſtrem poſt paucos dies conſenſu prae-

praeſtito, demum tu ad tuorum *electorum et aliorum Imperii optimatum*, qui propter hoc ad te in Angliam acceſſerunt, inſtantiam et requiſitionem inſtantem, eidem electioni poſt diligentem ſuper hoc tractatum habitum conſenſiſti, ac perſonaliter Alemanniae regnum ingreſſus, et moram apud Aquisgranum, quantum decuit, faciens, nec inueniens reſiſtentem; poſtmodum fuiſti per ſaepe dictum Colonienſem Archiepiſcopum, ad cuius id ſpectabat officium, conſecratus, inunctus, coronatus, ac inthronizatus regio more in ſedem magnifici Caroli, nullo ſe inibi coronationi tuae realiter aut uerbaliter opponente. Recepiſti quoque homagia Magnatum regni eiusdem, ac fidelitatis etiam iuramenta: obtinuiſti ornamenta, et inſignia Imperialia, quibus Rex Romanorum ſolet ornari, dum Romae inungitur, conſecratur per manus ſummi Pontificis, et ſacrum Imperii ſuſcipit diadema; et ſine quibus aliquis ad inunctionem, conſecrationem, et coronationem huiusmodi nec ſolet, nec debet admitti: reddita inſuper tibi fuerunt quam plura oppida, caſtra, uillae, ac iura Imperii tamquam Regi: tuque ipſius Regni poſſeſſionem adeptus, ipſam tenes, et per ſex annos et amplius tenuiſti.

§. 7. Ex his autem procuratores tui arguere nitebantur, cum memorati Treuirenſis Archiepiſcopus et Dux Saxoniae, recuſando dicto die procedere; reliqui uero, *non ueniendo* ad terminum concorditer aſſignatum, *ſe alienos ab electione reddiderint* ea uice: tu ab omnibus principibus uel ſaltem ab iis, in quos totaliter ius eligendi reciderat, cenſeri debes electus: et pro certo ac indubitato ponentes, ius in Regno et Imperio ſupra dictis, tibi electo, praedictis conſuetudinibus obſeruatis, ubi et a quibus id fieri debuit, et nulli alii, acquiſitum, ac regimen, nomen et Imperii diadema indubitate deberi; ſupplicauerunt inſtanter, et humiliter petierunt, tibi et huiusmodi nomen aſcribi: maxime cum antedictus praedeceſſor id tibi de fratrum ſuorum conſilio adſcripſiſſet, te in eiusdem Regno et imperio quibuslibet aliis praeferendo, ſicut per ipſius literas oſtendere nitebantur: teque per nos inungendum, conſecrandum et coronandum in Romanum Imperatorem, aduocatum,

catum,

catum, ac defenſorem Eccleſiae, ad ipſum diadema de noſtris ſuſcipiendum manibus ſine diſpendio ulterioris morae uocari, et Apoſtolicum tibi fauorem impendi: praeſertim cum non tantum maior pars principium praedictorum, imo omnes, excepto nobili uiro Marchione Brandeburgenſi, qui etiam paratus eſt tibi obedire, ut iidem nuntii proponebant; electioni de te factae conſentiant, et tibi tam ipſi, quam alii magnates Alemanniae generaliter tanquam ſuo Regi odediant et intendant: petitionem ſuam illa indubitata, ſicut aſſerunt, in Imperio et iure munita conſuetudine fulcientes, qua dicunt, electo in Regem Romanorum, ſecundum ſolitum morem Imperii ubi et a quibus debet, et poſtmodum per ſupra dictum Colonienſem Archiepiſcopum iniuncto, conſecrato et coronato eo ipſo regium nomen acquiri, et ſi electae perſonae impedimenta non obuient, uocandum ſine dilatione aliqua per ſummum Pontificem ad coronam; ad id non ſolum morem Imperii approbatum, ſed etiam quondam felicis recordationis Innocentii Papae III. praedeceſſoris noſtri decretalem epiſtolam allegantes ac dicentes, per contradictionem memorati Regis Caſtellae, uel electionem, quae de ipſo facta dicitur, petitionem non debere aliquatenus impediri; cum ſecundum praedictas conſuetudines ſit ei iam cuiuslibet contradictionis uia praecluſa, et electio ipſa nulla fuerit ipſo iure, utpote poſt annum et diem contra easdem Imperii conſuetudines, et termino ad hoc ſtatuto de communi Principum praedictorum conſenſu transacto, et poſt electionem tuam legitimam non caſſatam, a ſolo nominato Treuerenſi (qui propter noua pedagia, quae in terra ſua impoſuit, erat tunc ex communicatione ligatus) nulla omnino forma ſeruata, in Camera eiusdem Treuerenſis Archiep. contemptis aliis principibus, clandeſtine attentata: cum nullam ab eisdem principibus ſuper hoc poteſtatem haberet; quam ſi etiam ab aliquibus habuiſſet, ſicut quaedam pro altera exhibitae literae innuebant, formam tamen ipſius, quae ſecundum tenorem literarum ipſarum ad certam diem ſe tantummodo extendebant, non eligendo ipſa die, minime obſeruauit.

§. 8.

§. 8. Ex parte uero ſupra dicti Regis Caſtellae per uenerabiles Fratres noſtres Garſiam Siluenſem et fratrem Dominicum Abulenſem Epiſcopos, ac dilectum filium Magiſtrum Ioannem Capellanum noſtrum Archidiaconum Compoſtellanum, ipſius procuratores, actores, et negotiorum geſtores, generales et ſpeciales omnes in ſolidum ; ita quod occupantis non ſit melior conditio ; mandatum habentes ab ipſo, ad petendum pro eo et ſuo nomine a nobis et praedictis fratribus noſtris coronam Imperii, et aſſignari ſibi diem ad recipiendum ipſam et ad agendum, reſpondendum, defendendum et tractandum ſua iura et Imperii, et quicquid honori eius expedire uiderent, ſiue in ordinario, ſive in extraordinario iudicio ageretur; fuit e contra propoſitum, quod praedictus dies octauarum Epiphaniae non ad eligendum, ſed ad tractandum ſuper electione faciendi Regis et Imperatoris, et ad asſignandum diem ad celebrandum electionem eandem, non per omnes, ſed quosdam ex ipſis principibus extitit aſſignatus ; Qua die praefati Treuirenſis Archiepiſcopus et Dux Saxoniae pro ſe, ac dilecto filio nobili uiro Marchione Brandeburgenſi, qui eidem Treuirenſi Archiepiſcopo uices ſuas commiſerat, nec non et procuratores memorati Regis Bohemiae ad praedictum oppidum tanquam uiri pacifici acceſſerunt. Supra dicti uero Colonienſis Archiepiſcopus et Comes cum ingenti armatorum multitudine ad loca circumuicina ipſius oppidi aduenientes, requiſiti per Treuerenſem Archiepiſcopum, Ducem, et procuratorem praedictos, qui eorum impreſſionem ueriſimiliter formidabant, ut idem oppidum intrarent cum ſocietate decenti; de aſſignando die ad electionem celebrandam, prout terminus exigebat, ſi ad hoc eſſent habiles, una cum ipſis pacifice tractaturi : non ſolum id facere contempſerunt, uerum etiam proprii proſecutores arbitrii praeſumſerunt te in Regem Alemanniae, non ſine multo contemtu aliorum Principum, nominare.

§. 9. Memorati autem Treuerenſis Archiepiſcopus, Dux et Procurator nominationem huiusmodi attendentes penitus eſſe nullam (praeſertim cum Colonienſis Archiepiſcopus

pro eo, quod in bonae memoriae P. ſancti Georgii ad uelum aureum Diaconum Card. tunc Legatum in Alemanniae partibus manus iniecerat, ac uenerabilem fratrem noſtrum Padebornenſem Epiſcopum detineret captiuum, propter quod per eundem etiam Legatum excommunicatus extitit; Comes uero propter Clericorum et religioſorum caedes et notorias captiones, et quia contra ſententiam felicis recordationis Innocentii Papae IV. praedeceſſoris noſtri, quondam Friderico olim Romanorum Imperatori et Conrado nato eius praeſtiterat publice conſilium auxilium et fauorem; erant ipſius electionis tempore tam a canone, quam ab homine uariis excommunicationibus innodati: et Moguntinus Archiepiſcopus, cuius idem Colonienſis Archiepiſcopus ſe uices gerere aſſerebat, in uinculis teneretur; propter quod carens arbitrii libertate, praeſtare non potuit, prout iura exigunt, liberum in electione conſenſum, nec etiam facto praeſtitit ad electionem celebrandam) certum terminum ſtatuerunt ſubſequentem dominicam paſſionis, quo quidem termino uſque ad proximam dominicam palmarum continuato de die in diem; et memorato Maguntino tunc a uinculis liberato, Colonienſi Archiepiſcopo et Comite requiſitis, et nolentibus intereſſe; dictus Treuirenſis Archiepiſcopus a Rege Bohemiae, Duce et Marchione ſibi ſuper hoc poteſtate commiſſa, dictum regem Caſtellae ſuo et illorum nomine publice et ſolemniter in eodem oppido de Franckenford, Dei nomine inuocato, Romanorum Regem et Imperatorem elegit, et electionem ipſam omnibus aſtantibus publicauit: idemque Rex Caſtellae, ipſa electione ſibi per quamplures Magnates Imperii, ad ipſum propter hoc in Hiſpaniam accedentes, poſtmodum praeſentata, electioni conſenſit eidem. Ex praemiſſis ſane iidem procuratores et nuntii praelibati Regis Caſtellae, dicentes electionem ipſam, ubi et a quibus debuit, celebratam legitime; allegabant electionem eandem impediri non potuiſſe per tuam, quae, ſicut dicunt, nulla extitit ipſo iure. Nam cum praedictus dies octauarum non ad eligendum, ſed ad tractandum de ſtatuta die; et ipſam ſtatuendam ad electionem celebran-

dam

dam noui Regis, fuerit non per omnes praedictos Principes ſed per aliquos ex eis, ut praemittitur, aſſignatus; qui, etiamſi ad eligendum ſtatutus fuiſſet, per maiorem partem eorundem Principum, minoris partis non obſtante contradictione, mutari et prorogari potuit, et extitit prorogatus: conſtat electionem de te maxime per pauciores de ipſis Principibus excommunicatos ipſa die octauarum factam, nullam penitus extitiſſe.

§. 10. Excommunicationem etiam contra memoratum Archiepiſcopum Treuerenſem obiectam, et conſuetudinem, quae de celebranda tempore uacantis Imperii infra annum et diem Regis Rom. electione praeponitur, ac alias omnino negantes, allegabunt, quod ſi ueritate huiusmodi propoſitio fulciretur, electio tua, quae quindecim diebus de ipſo tempore adhuc exſtantibus celebrata fertur, ex hoc etiam nulla eſſet: cum non licuerit minori parti, maiore contemta, diem ultimam ipſius temporibus praeuenire. Per quae apparere dicebant, quod Electores eiusdem Regis Caſtellae, nolendo die illo eligere, non fuerunt eligendi iure priuati, nec ſi etiam, ut pars aduerſa proponit, ad minorem partem renuiſſent exire. Nam cum infra praedictum oppidum de Franckeford Romani Regis et Imperatoris, et non alibi, debeat electio celebrari, minor pars non poterat ad locum alium coarctare maiorem. Adiecerunt praeterea inunctionem, conſecrationem, coronationem ac poſſeſſionem praedictas, quam quidem poſſeſſionem omnino negabant; et caetera pro parte tua inducta, cum ex electione tua, quae, ut praedicatur, nulla extiterat ſecuta fuerint, tanquam nulla, nullum potuiſſe tuo munimentum afferre, aut eiusdem Regis Caſtellae iuri praeiudicium generare: ſubiungentes Colonienſem Archiepiſcopum ſupra dictam conſecrationem uel inunctionem, ſeu coronationem, quae ius tribuant, dare non poſſe niſi ei, qui a maiori et ſaniori parte praedictorum Principum eſt electus: alioquin alia ſequeretur abſurditas, quod ſolus Colonienſis Archiepiſcopus precibus inductus uel corruptus pretio, cui uellet, Imperium dare poſſet.

§. 11. Quod autem de literis ſupradicti praedeceſſoris Alexandri praemittitur, in quibus tibi regium nomen dicebatur aſcriptum, teque in praedictis regno et Imperio aliis fuiſſe praelatum, multipliciter confutabant; tum quia quoties coram ipſo praedecurſore Alexandro ac fratribus ſuis de Imperii negotio agebatur, idem praedeceſſor Alexander, publice aſſerebat, quod ſuper eodem negotio nihil in dicti Regis Caſtellae praeiudicium attentaret; quod etiam ipſi Regi Caſtellae per literas per quondam A. de ferentino ſuum Capellanum et nuntium intimabat; propter quod praedicti per te inductae literae merito ſunt ſuſpectae, nec credendae de eiusdem praedeceſſoris Alexandri conſcientia emanaſſe; tum etiam quia ſi de ipſius conſcientia et fratrum ſuorum conſilio proceſſiſſent, cum iniurioſae ſint, debent merito reuocari. Vnde iidem Regis Caſtellae procuratores et nuntii electionem de ipſo factam, electione tua praedicta, et iis, quae pro te fuerunt obiecta, nequaquam obſtantibus, fore legitimam, utpote celebratam a maiori parte ipſorum Principum (quos iidem procuratores et nuntii uariare non potuiſſe allegant, et uariaſſe non credunt) imo fictione iuris ab omnibus (cum alii utpote inhabiles electioni non potuerint, uel ſaltem noluerint in loco ſolito et tempore debito intereſſe) ac ipſum potiorem in praedictis regno et Imperio arguentes; cum inſtantia poſtularunt ipſi Regi Caſtellae, conſuetum fauorem: uidelicet, quod quando aliqui ad Imperium in diſcordia Principum eliguntur, ſedes Apoſtolica illum, qui electus eſt a parte maiori, perſonae impedimentis ceſſantibus, denuntiat electum canonice, ac Regem nominat, pro parte aliqua non citata; et rei fauorem praeſtat, illique terminum ad recipiendam coronam aſſignat, etiamſi alter taliter electorum regni poſſeſſionem praeſumſerit occupare: ſicut in electionibus Lottarii et Conradi, Ottonis et Philippi ac aliorum plurium obſeruatum fuiſſe dicebant, ad hoc praedictam decretalem Epiſtolam inducentes.

§. 12. Eisdem autem praefati Regis Caſtellae nuntiis petitioni praedictae ſuper debita iuſtitia exhibenda porrectae inſiſten-

Digitized by Google

ſiſtentibus, nos memoratum Roffenſem Epiſcopum et alios tuos procuratores de praedictorum fratrum conſilio duximus requirendos, ſi uellent ſuper praemiſsis ſubire tuo nomine noſtrum et Apoſtolicae ſedis examen. Qui habito conſilio reſponderunt, quod cum ſis princeps Catholicus, nobis et Eccleſiae Romanae deuotus, ipſam caput Chriſtianitatis et fidei, tuamque matrem et Dominam recognoſcens, nec intendas illius declinare iudicium, in quibus illud ſubire debes, et de iure teneris; et in Imperio ius habeas, ac Regni Alamanniae, et eius iurium poſſeſſionem obtineas; parati erant, in quantum praedicti mandati, quod a te habebant, ſe uires extendunt, pro te ac tuo nomine, tanquam pro Rege uero, ac legitimo poſſeſſore iudicium noſtrum et Eccleſiae Romanae ſubire, ſi quis appareret, qui te ſuper praemiſsis uelit impetere, aut aliquid quocunque modo proponere, per quod tibi poſſit aliquod praeiudicium generari: ſaluis ſemper in omnibus et per omnia iurisdictione, poteſtate, officio, auctoritate, dignitate, honore ac libertate ſacri Romani Imperii, eiusque Principum, ad quos ſpecialiter ſpectat Romani Regis electio, et quibus praeiudicare non intendebant, uel alias quomodolibet derogare; petitionem tuo praemiſſam nomine nihilominus repetantes. Ecce, fili charisſime, dum ad petitionem iuſtitiae ab una parte proceditur, nec ab altero iudicio ceditur, ſed ipſius Regis concordiam, et concordem ſupra dicti ordinationem Imperii deſideraetaeque quietis nobis ſerenitas arrideret, in iudiciorum inquietos anfractus ingerimur, et expeditae iuſtitiae inſtantia in ipſorum nos fluctus impellit; Ecce pacem expectauimus, et non uenit: quaeſiuimus bona, et turbatio ſtrepitus iudicialis offertur. Profecto non id deſiderabat Eccleſiae imperiali auxilio releuanda neceſsitas: non id exigebant lacerae partes Imperii occupatricibus expoſitae manibus direptorum: non id requirebat Chriſtianitatis his temporibus miſeranda conditio, quam intrinſeca plusquam - - Tartaricae feritatis affligunt. Quibus potius debebatur, ut per tractatus pacificos Caeſarei culminis acceleranda prouiſio in unitate

capitis iuribus redintegratis Imperii contra tot diſcrimina prouideret.

§. 13. Nos itaque pacis cogitationes ſolicite cogitantes, ac de illius ſperantes omnipotentia et immenſa uirtute, ſub quo curuantur, qui portant orbem; qui uentis imperat et ad eius nutum ſtat ſpiritus procellarum; pacis tractatibus prouidimus inſiſtendum. Et ideo hinc inde propoſitis a nobis et praedictis fratribus noſtris in diſcusſionem exactae deliberationis inductis de ipſorum conſilio, tam ad magnificentiae tuae praeſentiam, quam ad ipſum Regem Caſtellae nuntios deliberauimus deſtinandos, qui uos ad pacem inuitent: ad quod dilectum filium magiſtrum Guilelmum Capellanum noſtrum Archidiaconum in Eccieſia Pariſienſi, uirum utique prouidum, conſilii maturitate conſpicuum, a nobis ac eisdem fratribus plurimum merito ſuae probitatis acceptum, de cuius induſtria et fidelitate nos et ipſi fratres plene confidimus, ad tuam magnificentiam ſpecialiter deſtinamus. Et nihilominus cum ſimus omnibus in iuſtitiae debitores, nec debeamus eam perſonis denegare ſublimibus, qui ſuper ipſa, etiam ab humilibus requiſiti, noſtri partes officii non negamus; te ac eundem Regem Caſtellae citandos decreuimus, et de ſaepe dictorum fratrum conſilio peremptorie praeſentium tenore citamus, ut ſecundo die Maii primo uenturi, Apoſtolico conſpectui per procuratores idoneos te praeſentes, qui tuae conſcientiae conſcii legitimum et plenum a te mandatum habeant ad paucis tractatum, ſi Dominus dederit, ineundum: et ad procedendum in ipſo negotio prout honori Eccleſiae, ac penſata talis et tanti conditione negotii ſine offenſa iuſtitiae uidebimus expedire. Dat. apud Vrbem ueterem 2. Kal. Septembris.

Extant apud Bzouium ad A. C. 1262. et in Leibniz. Cod. Iur. Gent. Dipl. Prodr. p. 12. ſeqq.

VI.

VI.

Rudolphi I. Impatoris Auguſti decretum de Iure eligendi Imperatorem inter regem Bohemiae et Ducem Bauariae controverſo. Ann. 1275. *factum.*

§. 1. Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, uniuerſis praeſentia inſpecturis in perpetuum declaramus, quod praeſidentibus nobis curiae apud Auguſtam Idibus Maii ſolempniter celebratae, et conſtitutis ibidem in praeſentia noſtra Illuſtrium Principum Ottockari Regis Bohemiae Nuntiis, et Henrici Ducis Bauariae Procuratoribus, ſubortaque inter eos quaeſtione ſuper *quaſi poſſeſſione iuris eligendi* Romanum Regem, per Procuratores dicti Ducis Henrici, et illuſtrem Ludouicum Comitem Palatinum Rheni Ducem Bauariae, filium noſtrum chariſſimum, fuit propoſitum, ratione Ducatus Bauariae hoc eis competere ex antiquo. Idemque noſter filius Ludouicus coram nobis, cunctisque Principibus, Praelatis, Baronibus, Militibus, et uniuerſo populo, qui eidem curiae aſſidebant, extitit publice proteſtatus, quod praedictus Dux Heinricus frater ipſius, olim electioni inclyti Richardi Romanorum Regis noſtri praedeceſſoris, una cum ipſo praeſentialiter cum ceteris Principibus Coelectoribus interfuit, et in eum uterque direxit legaliter uotum ſuum, eundem in Romanum regem una cum aliis Conprincipibus iusin hoc habentibus eligendo.

§. 2. Deinde uero electionis tempore apud Franchanfurte de nobis ab omnibus Principibus ius in electione habentibus concorditer celebratae, per Nuncios et Procuratores eiusdem Ducis Henrici, uidelicet Henricum Praepoſitum Oetingenſem et Fridericum Rectorem Eccleſiae de Landshud, ipſius abſentiam propter impedimenta legitima legitime excuſantes, praeſente Venerabili Berchtoldo Babenbergenſi Epiſcopo, Procuratore praedicti Regis Bohe-

Digitized by Google

miae et contradicente quidem ipſis Procuratoribus, ſed ipſius contradictione a Principibus Electoribus omnibus tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus non admiſſa, in dictum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni noſtrum filium, una cum aliis Principibus omnibus, qui in nos direxerant ſua uota, prout iam dicti Procuratores in mandatis receperant, concorditer extitit compromiſſum, qui commiſſum huiusmodi in ſe recipiens, ſuo et dicti Henrici Ducis fratris ſui, ac omnium aliorum Principum ius in electione habentium auctoritate et nomine, in Romanum Regem ſolemniter nos elegit, uocibus eorundem fratrum Ducum Bauariae, Comitum Palatinorum Rheni, ratione Ducatus *pro una in Septem Principum ius in electione Regis Romani habentium* numero computatis; prout etiam in praedicta curia Auguſtenſi uiuae noſtrae uocis eloquio, utrique ipſorum, in praeſentia Nunciorum praefati Regis Bohemiae, uidelicet Venerabili Wernhardo Seckouienſi Epiſcopo, Magiſtro Henrico Praepoſito Werdenſi, N. Commendatore Domus Theutonicae per Auſtriam, et Wolfingo Magiſtro Hoſpitali S. Iohannis de Mnurperge, ac omnium ibidem praeſentium Principum, Praelatorum ac Baronum recognouimus, et recognoſcimus manifeſte. In huius rei teſtimonium, et perennem memoriam praedictorum, praeſentes eis literas donauimus, noſtro Regali Sigillo, nec non ſubſcriptorum teſtium ſigillis munitas. Qui ſunt

Hartmannus Auguſtenſis }
Hiltprandus Eiſtetenſis } Epiſcopus.
Henricus Tridentinus. }
N. de Sancto Gallo }
N. de Augea. } Abbates.
Rudolphus Cancellarius noſter.
Ex Laicis uero Filius noſter Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariae.
Philippus Dux Karinthiae.
Meinhardus Comes Tyrolenſis.
Fridericus Burggrauius de Nürnberg.

Hein-

Heinrieus Marchio de Burgaue.

Vlricus de Helfenſtain,
Ludouicus de Oetingen
Albertus et Burchardus de Hochenberg
Heinrcus de Furſtenberg
Tybaldus de Pirreto
et Ludouicus de Honburg
} Comites

Henricus et Berchtoldus de Niffen
Albertus de Pruckberg
Hermannus de Haeginberch
Volckmarus de Chemnaten
et Marquartus filius ſuus
Winhardus de Rorbach
Heinricus de Priſingen
} Barones

et alii quam plures. Actum et datum Auguſtae Anno Dominicae Incarnationis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, Regni uero noſtri anno ſecundo.

Extat apud Goldaſtum Conſtitut. Imper. Tom. I. p. 311.

VII.

Rudolphi I. Romanorum regis Conſtitutio de Iure Electoratus in Romano Imperio, Regibus Bohemiae competente, A. 1290. facta.

Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, uniuerſis ſacri Imperii Romani fidelibus praeſentes literas inſpecturis gratiam ſuam et omne bonum.

§. 1. Quanto iura perſonarum prodierunt in lucem notitia clariora, tanto liquidius poſteritati ſucceſſurae materia tollitur altercandi. Inquiſitionis igitur circumſpectae praehabita indagine, ſcrutinioque ſolerti ſcire deſiderauimus, quid quantumue iuris in Romano competat Imperio, et in electione Romanorum regis, futuri Imperatoris, inclito Regi Bohemiae, Principi et filio noſtro chariſſimo, et heredibus ipſius. Quo facto, Principum, Baronum, Nobilium et Procerum Im-

perii, nec non ueteranorum communi aſſertione, et concordi teſtimonio comperimus aſſonante, ipſum regem Bohemiae, Imperii debere Pincernam exiſtere, et ius ac officium Pincernatus apud eum, nec non eius heredes, iure hereditario reſidere.

§. 2. Extitit etiam dilucide declaratum, praedictum regem Bohemiae, et ſuos heredes, in electione regis Romanorum, futuri Imperatoris, cum ceteris Electoribus habere debere, ad ſimilitudinem aliorum Electorum, eligendi plenarium ius ac uocem.

§. 3. Haec uero iura Pincernatus et Electoratus, nedum dicto regi et ſuis heredibus didicimus competere, ſed etiam ſuis progenitoribus, abauis, atauis, proauis et auis, pure pleniſſime competebant.

§. 4. Volentes itaque dicti regis et heredum ſuorum diſpendiis cauere, ius et officium Pincernatus in Imperio ſibi et heredibus eius, et non alii, competere, et in electione regis Romanorum, futuri imperatoris, habere ius et uocem, clare recognoſcimus, approbamus et praeſentium teſtimonio profitemur.

§. 5. Si quid autem diminutionis uel calumniae, quod non credimus, cauilloſe, malitioſe uel ſubdole poſſit opponi, ſupplemus de plenitudine Regiae poteſtatis. In cuius rei teſtimonium praeſens ſcriptum Maieſtatis noſtrae ſigillo fecimus communiri. Datum Erfordiae VI. Cal. Octobris Indictione tertia Anno Domini MCCXC. Regni uero noſtri anno XVII.

Extat apud Goldaſt. Conſtit. Imp. Tom. II. p. 85.

VIII.

Principum Electorum S. Rom. Imperii Diploma, quo donationes Pontifici Ramano a Rudolpho Imperatore factae confirmantur.

Ludo-

Ludouicus Dei gratia Comes *Palatinus* Rheni, Dux Bauariae; *Ioannes* et Adalbertus Duces *Saxoniae*, Otto Marchio *Brandeburgenſis*, uniuerſis praeſentem paginam inſpecturis ſalutem iu Auctore ſalutis.

§. 1. Complectens ab olim ſibi Romana mater Eccleſia, quadam quaſi germana charitate Germaniam, illam eo terrenae dignitatis nomine decorauit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantum praeſidentium ſuper terram, plantans in ea Principes tanquam arbores praeelectas, et rigans illas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum tam mirandae potentiae, ut ipſius Eccleſiae auctoritate ſuffulti, uelut germen electum per ipſorum electionem illum, qui fraena Romani Imperii teneret, germinarent. Hic eſt illud luminare minus in firmamento militantis Eccleſiae per luminare maius Chriſti uicarium illuſtratum. Hic eſt, qui materialem gladium ad ipſius nutum excutit et conuertit, ut eius praeſidio paſtorum paſtor adiutus, oues ſibi creditas ſpirituali gladio protegendo communiat, temporali refraenet et corrigat ad uindictam malefactorum, laudem uero credentium et bonorum.

§. 2. Vt igitur omnis materia diſſenſionis et ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio inter ipſam Eccleſiam et Imperium auferatur, et duo gladii in domo Domini conſtituti debito foedere copulati ſe ipſos exerceant, in utilem reformationem regiminis uniuerſi, et nos in actu uoluntatis et operis inueniamur filii deuotionis et pacis, qui tam Eccleſiam, quam Imperium confouere tenemur: quidquid per Dominum noſtrum Rudolphum Dei gratia Romanorum Regem ſemper Auguſtum ſanctiſſimo patri et Domino noſtro Nicolao Papae tertio, eiusdemque ſucceſſoribus, et ipſi Romanae Eccleſiae recognitum, confirmatum, ratificatum, innouatum, denuo donatum, declaratum ſiue conceſſum, iuratum et actum ſeu factum eſt per priuilegia uel quaecunque alia ſcripta, quorumcunque tenorum ſuper recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innouationibus, confirmationibus, donationibus, conceſſionibus et factis ſeu geſtis tam aliorum Impe-

ratorum et regum Romanorum, praedeceſſorum regis eiusdem, quam ipſius regis ſuper fidelitate, obedientia, honorificentia per Romanos Imperatores et Reges Romanis Pontificibus et ipſi Eccleſiae impendendis, ac poſſesſionibus, honoribus et iuribus eiusdem Eccleſiae, et nominatim ſuper totam terram, quae eſt a Radicofano usque Ceperarum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terrae Comitiſſae Mathildis, ciuitate Rauennae, et Æmilia Bobio, Ceſena, Foropopuli, Foroliuii, Fauentia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis atque Gobello, Arimino, Vrbino, Monteferetro, territorio Balnenſi, Comitatu Brectonorii, Exarchatu Rauennae, Pentapoli, Maſſa Trabaria cum adiacentibus terris ſuis, et omnibus aliis, ad praedictam Eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis atque inſulis in terra marique, prouinciis, ciuitatibus, territoriis ad praedicta quoquo modo ſpectantibus tam citra Pharum, quam ultra, Corſica quoque atque Sardinia, et ceteris terris ac iuribus ad ipſam Eccleſiam pertinentibus, nos noſtri nomine Principatus in omnibus et per omnia approbamus et ratificamus, ac iisdem omnibus et ſingulis, et quibuscunque aliis ſuper iisdem per eundem Regem quoquo modo factis et in poſterum faciendis uoluntatem noſtram, aſſenſum atque conſenſum unanimiter atque concorditer exhibemus et promittimus, quod contra promiſſa, uel aliquod promiſſorum nullo unquam tempore ueniemus; ſed ea omnia et ſingula, pro poſſe noſtro procurabimus inuiolabiliter obſeruari. Et ut haec noſtra uoluntas, approbatio, ratificatio, aſſenſus, conſenſus atque promiſſio a nobis eisdem Romanis Pontificibus et Eccleſiae in perpetuum obſeruentur, hoc praeſens ſcriptum inde fieri fecimus, noſtrorumque ſigillorum munimine roboratum.

Actum et datum anno Domini milleſimo, ducenteſimo decimo quarto, Kalend. Aprilis, Indictione ſeptima, regnante praedicto Domino noſtro Rudolpho Romanorum Rege glorioſo, regni eius anno ſexto.

Extat apud Goldaſt. Conſtit. Imper. Tom. I. p. 312.

IX. *Di-*

IX.

Diploma de Electione Adolphi Naſſouici ab Archiepiſcopo Moguntino editum anno 1292.

Wir Gebhardus von Gottes Genaden/des Stuels zu Maintz Ertz-Biſchoff/und des Hayligen Römiſchen Reichs durch Germanien Ertz Cantzler verkünden mit dieſen Brieffe/daß/Nachdem wir in verſchienen Zwölffhundert und neunzigſten jahre/unſern Mitcurfürſten zur wahl eines Römiſchen Königes einen tag zu Franckfurt/als nemblich den freytag nach Philippi und Jacobi angeſtellet gehabt/welcher tag ſich biß auff den nachfolgenden montag hernach verlängert/alda dann mit unſerer und unſern Mittcurfürſten/denen ſolche wahl gehörig/bewilligung/die beruembten Menner/Herman von der Leippe/Obriſte Landtcammer des Königreichs Böhmen/Albrecht von Schebrack Burggraff auff Ladau/und Thobias von Bethinie Burggraff auff Froburg/des Königs auß Böhmen Beſondere mit voller macht und gewalt Abgeſandte/bey den Gotteshauß in der wohnung der Bruder Prediger Ordens Sancti Dominici zu Franckfurt vorkommen/und vor uns/und unſerer Mitcurfürſten Gegenwürdigkeit/des Großmechtigen Fürſten und Herren Wenceslai Königen in Böhmen/Marggraffen in Mähren/und Herzog zu Krakhaw und Sandomirien/entſchuldigung vorgebracht/und ſolches/daß er zu dieſer wahl eines Römiſchen Königes/ſelbſt perſönlichen/auß ehrhafften nicht erſcheinen können/mit ihrem aydte bekrefftiget und erhalten/und uns deſſelbigen ihres Königes ſtimme/derer er ſich ſonſten/als ein Churfürſt und bey der Kayſerlichen wahl der Ertzſchenckh/macht zugebrauchen hat/anheim geſtellet haben/wir auch mit willen unſerer Mitcurfürſten ſeine ſtelle angenommen/alß haben wir ſo wohl vor unſerer Perſon/alß an ſtatt und von wegen vorgemelten Königes in Böhmen/den Durchleutigſten Fürſten und Herren/Adolphum Graffen von Naſſow zu ainen Römiſchen König erwöhlet: Urkundlich haben wir dieſen unſern Brieff mit unſern inſigel verfertigen laſſen/Geben Franckfurt/den 10. Maii/Anno &c. 1292.

Extat apud Goldaſtum in Replic. pro Imperio Cap. XIII. p. 173.

X.

Declaratio legatorum Brandeburgicorum circa pacta de eligendo Rege Romanorum, Popardiae 1308. feria ſexta ante Simonis et Iudae.

Nos Bercht. Comes de Henneberg, nec non Conradus de Rieda miles Procuratores Illuſtrium Principum *Ottonis et VVoldemari Marchionum Brandenburgenſium* ſuper futuri Romanorum Regis electionis negotio conſtituti, ad uniuerſorum notitiam uolumus pertinere; quod poteſtate nobis et mandato ab iisdem Marchionibus nomine eorum, nec non illuſtris *Principis Rudolphi Ducis Saxoniae*, qui ſuum uotum in electione Romanorum regis ſibi competens in praedictum Ottonem Marchionem noſcitur transtuliſſe, datis, traditis et conceſſis; amicitiae unionis et concordiae foedera cum illuſtribus Principibus *Rudolpho et Ludouico Comitibus Palatinis Rheni*, ut ipſi regno Romano ſalubrius conſulatur, ſic duximus ineunda: uidelicet, quod illis promiſimus, et praeſentibus promittimus, corporali ſuper hoc et in animas praedictorum Dominorum noſtrorum Marchionum praeſtito iuramento, quod in Electione futuri regis Romanorum unum cum ipſis eſſe debeamus, ſic uidelicet; quod quemcunque ex Principibus Ottone et Woldemaro Marchionibus Brandeburgenſibus, nobili Viro *Alberto Comite de Hanalt*, nec non illuſtribus Principibus Rudolpho et Ludouico Comitibus Palatinis Rheni et Friderico Duce Auſtriae plura uota *de Principibus Eccleſiaſticis Electoribus* habere contigerit, ille praeferatur, et uotis noſtris eidem debemus adhaerere, ipſum ſine omni contradictione in Regem Romanorum eligendo, extra uero numerum praedictarum perſonarum non eligemus, niſi concurrentibus uotis Comitum Palatinorum atque noſtris.

§. 2. Sane eſt adiectum et iuramento firmatum, quod ſi aliquem noſtrorum Marchionum praedictorum uel alium ad noſtram promotionem in regem Romanorum eligi continget, praefatis comitibus Palatinis in ſuo iure aſſiſtere, et ipſi nobis

nobis uice uerſa et ipſorum contra omnes in perpetuo coadiutor. Eſt etiam promiſſum, et iuramento firmatum, quod ſi aliquem ex Marchionibus praedictis uel alium ad eorum promotionem in Regem eligi contigerit, quod praedictis Palatinis conferet omnia ſua bona, et eos in eiusdem manu tenebit et deffendet, et praedictos Comites Palatinos in poſſesſione omnium bonorum, quae genitor eorum poſſedit, et in ea poſſeſſione ſicut tempore clarae memoriae quandam Rodolphi Romanorum regis poſſederunt, non moleſtabit. De expenſis uero, quae contemplatione electionis factae fuerint, ad arbitrium Venerabilis Principis Domini Ioannis Epiſcopi Argentinenſis, et noſtri Bercht. Comitis de Henneberg locabuntur. Ad confinia uero Imperii et praedictorum Comitum officiales pontifici iuxta arbitrium Argentinenſis Epiſcopi et Bercht. (Berchtoldi)

§. 3. Eſt etiam iuratum, quod nec illuſtribus Principibus *Ottoni et Stephano Ducibus Bauariae* nec nobili Viro *Eberhardo Comiti de VVirtemberg* praedicti Marchiones, ſi quem ex eis eligi continget, adhaerebunt, uel aliquo genere copulationis et unionis unientur. Porro promiſimus et iuramento firmauimus, quod illuſtribus Principibus Friderico et fratribus ſuis Ducibus Auſtriae omnia eorum bona et dominia, ſicut eo tempore clarae memoriae illuſtris quondam Domini Alberti genitoris poſſederint, conferet, et eos in iisdem manu tenebit et deffendet. Harum teſtimonio litterarum noſtrorum ſigillorum robore munitarum, Datum in Popardia, anno Domini milleſimo trecenteſimo octauo, feria VI. ante Simonis et Iudae Apoſtolorum.

Extat apud Leibnizium Cod. Iuris Gent. Diplom. p. 50.

XI.

Epiſtola ad Papam futurum, cum decreto quinque Electorum Imperii, qua declaratur electio Ludouici Bauari, ſimulque a Papa futuro requiritur,

ut

ut iuſto tempore ei coronam imponat. Francken-ford. 10. *Kal. Nou.* 1314.

§. 1. In nomine Domini Amen. Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino ſuo, Domino Sacroſanctae Romanae ac uniuerſalis Eccleſiae ſummo Pontifici futuro, *Petrus* Dei et Apoſtolicae ſedis gratia Sanctae *Moguntinae ſedis Archiepiſcopus* Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius; *Ioannes Dei gratia Bohemiae et Poloniae rex*, *VVoldemarus Marchio Brandenburgenſis*, *ac Ioannes Dux Saxoniae Senior*, humiles ac deuoti cum omni reuerentia deuotiſſima pedum oſcula beatorum.

§. 2. Vacante nuper per obitum foelicis recordationis Sereniſſimi Domini *Henrici* quondam *Romani Imperatoris* ipſo Romanorum regno ſeu Romano Imperio, et nobis una cum Reuerendo Domino *Balduino Sanctae Treuirenſis Eccleſiae Archiepiscopo*, nec non Reuerendi Domini *Henrici Archiepiſcopi Colonienſis*, et illuſtrium Principum *Ioannis Bohemiae* et Poloniae *Regis Rudolphi Comitis Palatini Rheni* Ducis Bauariae, Waldemari Marchionis Brandenburgenſis ac Ducis Saxoniae, honorabilibus Procuratoribus, ad quos *tam de iure quam de conſuetudine antiqua et approbata* ius eligendi Romanorum Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum noſcitur pertinere; ſolemniter concordantibus in diem Electionis huiusmodi, uidelicet craſtinam beati Lucae Euangeliſte, quae eſt decima nona Octobris. et ego Petrus Archiepiſcopus Moguntinus praedictus ex officii mei debito ipſam diem ad electionem huiusmodi celebrandam praefixi, litteris meis uocotoriis ipſis conprincipibus et Coelectoribus meis deſtinando. Qua die ueniente, ſuburbio oppidi Regalis Franckenfordenſium, loco ſiquidem ad hoc ſolito et conſueto, nobis Petro Moguntinenſi, Balduino Treuirenſi Archiepiſcopis, Ioanne Bohemiae et Poloniae rege, Waldemaro Marchione Brandenburgenſi ac Ioanne Duce Saxoniae ſupra dictis ibidem conuenientibus, celebrata miſſa ſancti Spiritus, deliberatione prouide praehabita, ad procedendum in electionis negotio praelibato, et in quantum debuimus, expectantibus, quod Reuerendus Dominus *Henricus*

ricus

Digitized by Google

ricus Archiepiſcopus Colonienſis et Rudolphus Comes Palatinus Dux Bauariae nondum uenerant, nec per ſuos Procuratores in dicto loco conuenerunt; Nos Archiepiſcopus Moguntinenſis ante dictus per noſtros nuntios ſpeciales ad id deputatos inſinuauimus, notificauimus, et ad eorum notitiam deduximus, ipſos citando uice et nomine omnium noſtrorum praeſentium, ut praefata die continuata in dicto loco ad eligendum conueniant.

§. 3. Qua die continuata, ipſis Archiepiſcopo Colonienſi et Comite Palatino, et aliis, quorum intereſſe poterat, ſic uocatis et ſufficienter expectatis, quod non uenerunt, nec pro ſe miſerunt, nec uices ſuas alicui ſeu aliquibus commiſerunt, in electionis negotio memorato, audita miſſa Spiritus ſancti, Nos Archiepiſcopus Moguntinenſis ante dictus ipſa die continuationis, quae fuit uigeſima menſis praedicti hora debita et conſueta procedere cupientes, in ſcriptis monitionem legimus, et proteſtationem quandam uice noſtra et omnium ibidem praeſentium ius in ipſa electione Regis Romanorum habentium illa uice, *monendo omnes infames, excommunicatos, ſuſpenſos ac etiam interdictos, nec non quoſcunque alios*, ſi qui forent forſitan inter eos, *qui de iure uel conſuetudine intereſſe in ipſius electionis negotio non deberent*, quod a tractatibus electionis celebrandae futuri regis Romanorum, et ab eadem electione recederent, Coelectores noſtros, nos et alios, quorum intereſſet eligere permittentes; proteſtando, quod non eſſet noſtra uel Coelectorum noſtrorum intentio tales admittere, tanquam ius in dicta electione habentes, aut procedere uel eligere cum eisdem. Imo uoluimus et intentionis noſtrae fuit, quod uoces talium, ſi qui reperirentur interfuiſſe, nulli praeſtarent ſuffragium, nec afferrent alicui momentum, et prorſus pro non receptis ſiue pro non habitis haberentur.

§. 4. Quam poteſtatem nos omnes ſupradicti una cum Reuerendo Patre Domino Balduino Archiepiſcopo Treuirenſi Coelectores nunc praeſentes ratam et gratam habentes conſenſimus in eandem; demum poſt tractatus praehabitos conſideratis ſollicite et diligenter circumſtantiis pluribus, et

X ſtatu

ſtatu perſonarum diuerſarum, per quas ſeu per quam Regno uacante, et imperio poſſet utilius prouideri, in *illuſtrem Virum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni Ducem Bauariae,* uirum utique catholicum, orthodoxae fidei feruidum zelatorem, Eccleſiae ſanctae Dei et Miniſtrorum eiusdem ac pacis ſanctae ab ineunte aetate ſua, experientia, quae eſt rerum magiſtra efficax, atteſtante, deuotum et humilem amatorem, ſtrenuum in armis, in iudiciis iuſtum, in conſiliis prouidum, in uniuerſa morum honeſtate praeclarum, benignum, aſſabilem, manſuetum, de alto et generoſo ſanguine diuorum Regum et Principum procreatum, ac in cunctis actionibus pro regimine reipublicae quam plurimum circumſpectum; noſtrum intuitum diuina diſponente clementia conuertentes; Nos *Petrus Moguntinus Archiepiſcopus* pro nobis et nomine noſtro, praefactus uero Dominus *Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopus* pro ſe, et nomine ſuo; Nos uero *Ioannes Bohemiae* et Poloniae *rex*, *Valdemarus Marchio Brandeburgenſis*, et Ioannes Dux Saxoniae, quilibet noſtrum pro ſe et nomine ſuo, *uotis noſtris per Dominum Moguntinum* antedictum uice ſua et noſtra et ex ſpeciali mandato noſtro et ſuo *diligenter inquiſitis*; Nos Electores praedicti in loco praedicto praeſentes, *ius totale ea uice in electione dicti regis habentes*, conſenſimus concorditer in eundem Ludouicum, et ipſum nominauimus quilibet pro ſe nullo penitus diſcrepante, in Romanorum regem eligendum, in Imperatorem poſtmodum promouendum; et in Aduocatum ſacroſanctae Romanae ac uniuerſalis Eccleſiae, uiduarumque et orphanorum defenſorem. Quibus ſic peractis, ego Petrus Moguntinenſium Archiepiſcopus de mandato ſpeciali, et uoluntate mea et meorum Coelectorum praedictorum eundem Ludouicum Comitem Palatinum Rheni ducem Bauariae elegi ſolemniter in hunc modum.

In nomine Domini Amen. Cum uacante Romano Imperio per mortem foelicis recordationis Sereniſſimi Domini Henrici quondam Romani Imperatoris, uocatis, qui fuerunt uocandi, et qui in electione regis Romanorum ius habere dignoſcuntur, ac praeſentibus; dicta die continuata ad eligen-

Digitized by Google

eligendum, omnibus, qui uoluerunt, potuerunt ac debuerunt commode intereſſe, placuit omnibus et ſingulis praeſentibus ad electionem procedere futuri Regis, et inquiſitis uotis omnium et ſingulorum ius in electione ipſius Regis habentium et praeſentium, ſingulos Electores praedictos appareat ex praemiſſis direxiſſe concorditer uota ſua in illuſtrem Ludouicum Comitem Palatinum Rheni Ducem Bauariae, in eum conſentiendo, et ipſum nominando in Romanorum regem eligendum, per cuius quidem Ludouici praedicti experta ſtrenuitatis merita; fidei puritatem et conſtantiam, ſperat ſacroſancta Romana et uniuerſalis Eccleſia potenter et utiliter defenſari, ac in ſpiritualibus et temporalibus uotiua ſuſcipere incrementa, et etiam respublica prouide dirigi, et pariter ſuperno ſuffragante auxilio gubernari. Ego Petrus Archiepiſcopus Moguntinus antedictus, uice mea ac Coelectorum meorum praedictorum ius in ipſa electione habentium ex poteſtate mihi per eos tradita ſpecialiter et conceſſa, eundem Ludouicum, inuocata Spiritus Sancti gratia, in Romanorum Regem eligo, in Imperatorem futurum promouendum.

§. 6. Electione autem huiusmodi celebrata, eam nos omnes et ſinguli Electores praedicti praeſentes approbauimus, et Te Deum Laudamus alta uoce fecimus decantari; et dictum noſtrum electum, *qui praeſens extitit*, et electioni de ſe factae, diuinae nolens reſiſtere uoluntati, interpellatus cum inſtantia a nobis, reuerenter conſenſit, et deinde electionem ipſam Clero et populo ſolemniter fecimus publicari. Poſtmodum uero ipſum electum in ciuitatem Franckenfordenſium introducentes, ad Eccleſiam Sancti Bartholomaei deduximus, et ipſum ſuper altare maius, prout moris et conſuetudinis eſt, adhibitis ſolemnitatibus in talibus debitis et conſuetis, poſuimus, Te Deum Laudamus denuo decantantes, deinde in coemeterio Eccleſiae antedictae clero et populo ipſum electum praeſentauimus, et eius electionem fecimus ſolemniter publicari.

§. 7. Ea propter Sanctitati Veſtrae tam humiliter quam deuote, uoto unanimi ſupplicamus, ut ipſum electum noſtrum

in regem Romanorum paternis ulnis amplectentes, munus inunctionis et conſecrationis eidem conferendo de ſacroſanctis manibus ueſtris ſacri Imperii diadema dignemini loco et tempore fauorabiliter impertiri; ut ſciant et intelligant uniuerſi, quod poſuerit in lucem gentium uos dominus, et per ſanctitatis ueſtrae arbitrium orbi terrae poſt nubila, exoptata ſerenitas eluceſcat. Ceterum ut beatitudo ueſtra agnoſcat euidentius uota noſtra omnium praeſentium in praedictis omnibus et ſingulis concordaſſe, ac in petitione huiusmodi exiſtere unanimes et concordes, praeſens Electionis noſtrae decretum ſanctitati ueſtrae transmittimus, ſigillorum noſtrorum appenſione ex certa ſcientia roboratum. Datum apud Franckenford decimo Kalendas Nouembris, anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo quarto.

Extat in Nicol. Burgundi Hiſt. Bauar. Lib. I. p. 15. qui Diploma Treuirenſis Archiepiſcopi iisdem fere uerbis conceptum fuiſſe, addit pag. 18.

XII.

Principum Electorum S. Rom. Imperii literae ad Benedictum XII. Pont. Rom. de Ludouico Imp. et diſcordia Imperii ac Eccleſiae, datae ex comitiis Reinſenſibus A. 1338.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Benedicto Papae, ueſtri deuoti filii Henricus Dei et Apoſtolicae ſedis gratia Archiepiſcopus Moguntinenſis Electorum Principum Decanus, nec non per Germaniam Sacri Imperii Archicancellarius, Baldwinus, Archiepiſcopus Treuerenſis, Cancellarius Galliae; Walramus Archiepiſcopus Colonienſis, Italiae; Waldemarus Marchio Brandenburgenſis, Camerarius; Rudolphus Palatinus, Dapifer; Rudolphus Dux Saxoniae, Portitor enſis, Romanorum Regis et coronandi Imperatoris *legitimi Electores.*

§. 1.

§. 1. Grauamur non modice, et turbamur ex intimis, cum reuerendam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, matrem noſtram et ipſius ſummos Pontifices, quibus reuerentiam et honorem exhibere uolumus promptis et deuotis animis omni uice, ac ſacroſanctum Imperium, et Imperatores ſeu Reges ipſius, quorum defenſio ad nos ac omnes alios Coelectores prae ceteris mundi Principibus ſpecialiter pertinere dignoſcitur, ſicut temporibus praeſentibus uidemus, ad inuicem diſcordare. Nam ex hoc non potuerunt ſibi ex populo Chriſtiano proficere et prodeſſe, et prout eſt diuinitus inſtitutum, ſibi mutuo ſuffragari. Propter quae in diuerſis mundi partibus, prouinciis et terris, ipſis regendas, gubernandas commiſſis, innumera execrabilia pericula animarum, perſonarum et rerum, et diuerſa ſcandala in Dei Eccleſia (quod dolenter referimus) ſunt ſuborta; et maiora praeſumuntur futuris temporibus, quae ad planum dici nequeunt uel conſcribi, certitudinaliter ſuboriri. Quae ſubmoueri non poſſunt, niſi utraque poteſtas contenta ſit ſuis iuribus et conſuetudinibus hactenus obſeruatis; et reformenter, quae una contra aliam attemptauit.

§. 2. Sanctitati ueſtrae cum omni deuotione et in modum, quem poſſumus, meliorem et humiliorem referimus bono zelo, quod ſuper praemiſſis et ad conſulendum et prouidendum ſacroſancto Romano Imperio, cuius iura, honores, bona, libertates et conſuetudines, proſtrata iacent, et a diuerſis perſonis Eccleſiaſticis et Saecularibus ſunt et fuerunt hactenus in graue praeiudicium dicti Imperii inuaſa, occupata, et multipliciter conculcata XV. die menſis Iulii, anni XXXVIII. in Reinſe ſuper alueo Reni, ubi *Principes Electores ſuper negotiis Imperii tractandis conuenire conſueuerunt ab antiquo*, cum aliis omnibus Principibus Electoribus Imperii in unum fuimus congregati, et diuerſis deliberationibus et conſiliis praemiſſis, ſicut diuinae gratiae placuit, omnes unanimes fuimus, et nullo penitus diſcrepante pro defenſione et recuperatione iurium, honorum, bonorum, libertatum, conſuetudinum ſacri Romani Imperii ac totius Chriſtianitatis, ad cu-

ijs regimen et defenſionem idem Imperium principaliter ordinatum dignoſcitur, diſpoſuimus et ordinauimus, pro nobis et ſucceſſoribus noſtris, et firmauimus iureiurando per ſacramenta corporaliter a nobis et omnibus Coelectoribus noſtris praeſtita; quod iura, honores, bona, libertates et conſuetudines dicti Imperii, et noſtra, nobis in electione Imperii competentia ex conſuetudine uel de iure, manu teneamus, defendamus et illibata conſeruemus toto poſſe et uiribus noſtris, contra omnes homines, cuiuscunque praeeminentiae, dignitatis, ſeu ſtatus exiſtant; et quod hoc non obmittamus propter aliqua pericula rerum et perſonarum, aut praecepta, mandata, proceſſus, per quemcunque aut in quemcunque modum et formam prolati ſint, uel antea proferantur contra imperium et nos uel Coelectores noſtros; per quae dicto Imperio ac nobis et Coelectoribus noſtris in praedictis iuribus, bonis, hominibus, libertatibus et conſuetudinibus praeiudicatum ſit, uel in futurum poſſet praeiudicium generari.

§. 3. Et tandem ſuper praemiſſo lamentabili deſiderio, et cauſis originalibus, ex quibus ortum dignoſcitur, quod inter ſanctam Romanam Eccleſiam, ac ſacrum Romanum Imperium et Dominum noſtrum Ludouicum Romanorum Imperatorem, iam longis temporibus diligenti et ſollicita deliberatione praehabita, nos et alii Coelectores noſtri cognouimus, et nobis conſtitit euidenter ex proceſſibus quondam Domini Ioannis Papae XXII. praedeceſſoris ueſtri, quod ipſe primo et poſtea ſententias excommunicationis et interdicti (ſi ſic dici merentur) ac alias diuerſas ſententias et proceſſus de facto contra praedictum Dominum noſtrum, Dominum Ludouicum Romanorum Imperatorem, ac fautores et adhaerentes ſibi; qui a maiori parte Principum Electorum fuit rite et rationabiliter in Regem Romanorum electus, in Imperatorem poſtea conſecrandus; quod ſe de adminiſtratione Imperii intromiſit, non approbata per praedictum praedeceſſorem ueſtrum ipſius electione, quam in diſcordia aſſeruit celebratam. Per quas ſententias et proceſſus, cum iuri et conſuetudini Imperii, praefato Domino noſtro Ludouico, nobis

nobis et aliis Electoribus Imperii maxime derogetur; cum iure caueatur, et conſuetudine, cuius contrarium memoria hominum non exiſtit, ſit rationabiliter introductum, et ſine cuiusuis contradictione legitime obſeruatum, ſicut etiam in praedicto Parlamento per nos et alios Coelectores noſtros, praehabita diligenti deliberatione diſcuſſione, ac conſilio multorum Priucipum, Comitum, Baronum et Nobilium eſt concorditer declaratum et ſententialiter diffinitum; Quod uacante Romano Imperio, is, qui eligitur concorditer, uel a maiori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus eſt habendus: et quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, conſenſu, uel auctoritate ſedis Apoſtolicae, ſuper adminiſtratione bonorum et iurium Imperii indiget, ſiue titulo Regio aſſumendo: quodque iura et bona Imperii adminiſtrare et gubernare poterit, et de iure et conſuetudine, nulla ſedis Apoſtolicae ſuper hoc licentia habita uel obtenta.

§. 4. Quare cum Sanctitas ueſtra teneatur prae omnibus regnis mundi defendere iura Imperii, quod ad defenſionem ſedis Apoſtolicae et totius fidei Chriſtianae eſt coelitus ordinatum, et ſine cuius ſalubri gubernatione et defenſione non poteſt in opulentia pacis perſiſtere Chriſtianus populus, nec bene colere pacis auctorem: clementiae Sanctitatis ueſtrae ſupplicamus, cum omni humilitate et reuerentia, qua poſſumus et ualemus, quatenus ſententias et proceſſus praenotatos, et quicquid exinde ad nos ſecutum eſt, totaliter et penitus reuocetis, tanquam in praeiudicium Imperii et iurium ipſius prolatos. Quae iura illibata pro poſſe ſeruare tenemur ratione a nobis praeſtiti iuramenti, ut obinde in omni obedientia et deuotione Eccleſiae Romanae et Sanctitatis ueſtrae debeamus deuotioribus animis perpetuo permanere. Et ne, ſi ſecus fieret, nos et alii Coelectores noſtri, cum aliis Principibus Eccleſiaſticis et Saecularibus Alamaniae, cogeremur inuenire et quaerere contra eosdem proceſſus et ſententias, quamuis inuiti, remedia opportuna, ſuper praemiſſis ad Sanctitatem ueſtram tales transmittimus, quibus

quibus in dicendis et petendis uoſtro nomine fidem ueſtram clementiam petimus adhibere.

Extant hae literae in Henrici Rebdorf. Annalibus a Freh. ed. p. 456.

XIII.

Ludouici IV. Imper. Auguſti Conſtitutio de Imperii iuribus et excellentia et poteſtate electi Romanorum Regis, lata in comitiis Colonienſibus, Anno Domini 1339.

§. 1. Licet iura utriusque teſtamenti manifeſte declarent, imperialem dignitatem et poteſtatem immediate in Filio Dei ab antiquo proceſſiſſe, et Deum per Imperatorem et Reges mundi iura humano generi aperte tribuiſſe: et quod Imperator ex ſola electione eorum, ad quos pertinet, uerus efficitur Imperator, nec alicuius alterius eget confirmatione ſeu approbatione: quoniam in terris, quoad temporalia, non habet ſuperiorem, ſed eidem gentes ſubſunt et nationes, et ipſe Dominus noſter mandauit, quae ſunt Dei, Deo, et quae ſunt Caeſaris, Caeſari reddenda: Quia tamen nonnulli auaritiae et ambitionis coecitate ducti, et nullius Scripturae intelligentiam habentes, ſed diuertentes a tramite recti ſenſus in quaedam iniqua et praua commenta, et in aſſertiones deteſtabiles prorumpunt, contra poteſtatem et auctoritatem imperialem, et iura Imperatorum, Electorum et aliorum Principum et Imperii fidelium committentes, fallaciter aſſerentes, quod imperialis dignitas et poteſtas eſt a Papa, et quod electus in Imperatorem non eſt uerus Imperator nec Rex, niſi prius per Papam ſiue ſedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur, et coronetur: et per huiusmodi prauas aſſertiones et peſtifera dogmata hoſtis antiquus mouet lites, iurgia ſuſcitat, contentiones parit, et ſeditiones procurat:

§. 2. Ideo ad tantum malum euitandum, de conſilio et conſenſu Electorum et aliorum Principum Imperii, declaramus, quod imperialis dignitas et poteſtas eſt immediate a ſolo

Deo

Deo: et quod de iure et Imperii conſuetudine antiquitus approbata, poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſiue Regem ab Electoribus Imperii concorditer, uel maiori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt Rex uerus et Imperator Romanorum cenſendus et nominandus, et eidem ab omnibus Imperio ſubiectis obediri: et adminiſtrandi iura Imperii, et cetera faciendi, quae ad Imperatorem uerum pertinent, plenariam habet poteſtatem, nec Papae ſiue ſedis Apoſtolicae aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget uel conſenſu. Et eapropter hac in perpetuum ualitura lege decernimus, ut Electus in Imperatorem concorditer, uel a maiori parte Electorum, ex ſola electione cenſeatur et habeatur ab omnibus pro uero et legitimo Imperatore, et eidem ab omnibus ſubiectis Imperio debeat obediri, et adminiſtrationem et iuriſdictionem imperialem, et imperialis poteſtatis plenitudinem habeat, et ita habere ac obtinere ab omnibus cenſeatur et firmiter aſſeratur.

§. 3. Quicunque autem contra haec declarata, decreta, uel definita, aut aliquid eorum aſſerere ſeu dicere, aut aſſerentibus ſeu dicentibus conſentire, uel eorum mandatis, uel literis, uel praeceptis obedire praeſumpſerint, eos omnibus feudis, quae ab Imperio detinent, et omnibus gratiis, iurisdictionibus, priuilegiis et immunitatibus a nobis uel praedeceſſoribus noſtris eis conceſſis ex nunc priuamus, et ipſo iure et facto decernimus eſſe priuatos. Inſuper eos crimen laeſae Maieſtatis decernimus incurriſſe, et poenis omnibus impoſitis crimen laeſae Maieſtatis committentibus ſubiacere. Datum in Colonienſi ciuitate Alemaniae, die etc. Anno Domini 1339.

Extat apud Goldaſtum Conſtit. Imper. Tom. I. pag. 336.

XIV.

Guntheri Schwarzenburgii Imperatoris Auguſti edictum de Imperii excellentia et poteſtate electi Imperatoris. Anno 1349.

§. 1. Cum praedeceſſor noſter, Dominus Ludouicus felicis recordationis Romanorum Imperator, legem condiderit, in qua decreuit, electum in Francofurt in regem Romanorum *a Princiipibus Electoribus* aut maiori eorum parte adminiſtrationem Imperii ante confirmationem Papalem habere plenam et omnimodam, Nos, habito Principum noſtrorum conſilio tam ſpiritualium, quam ſecularium, poſt electionem noſtram ab omni Clero et populo probatam et confirmatam, eandem legem hoc edicto noſtro in perpetuum ualituro renouamus et ratificamus, renouatamque et ratam eſſe iubemus, decernimusque, omnes proceſſus aduerſus illam inſtitutos fuiſſe et eſſe nullos, Pontificumque Romanorum acta et dogmata aduerſus eam habita Chriſtianae doctrinae et Apoſtolicae repugnare, cum ipſe Pontifex ſecundum omnia iura diuina et humana, debeat ſubeſſe Imperio, nec Imperator in temporalibus illi aut ullae perſonae in terris ſubiectus eſſe noſcatur. Quaenam ergo haec ſuperbia eſt, quae noua et inaudita tyrannis, ut Princeps Romanorum legitimis ſuffragiis electus publicae libertatis author, libertate priuetur, ut cuius eſſe debent omnia, ipſe non ſit ſuus?

§. 2. Quapropter ex dictorum Principum ac fidelium Imperii conſilio, et inſtantibus precibus iura Imperii aduerſus quamcunque perſonam, quaecunque aliquid in perniciem et deſtructionem eius attentare, aut huic noſtro edicto et confirmationi contrauenire auſa fuerit, ſtrenue uiriliterque propugnanda ſuſcepimus, ipſis Principibus ac fidelibus firmum auxilium fideliter promittentibus, et ſuſcipientes declaramus, omnes eos, qui contra hanc noſtram confirmationem aliquid dicere aut facere, uel dicentibus aut facientibus conſentire praeſumſerint, tanquam noſtros et Imperii rebelles, omnibus beneficiis, gratiis et dignitatibus, quae ab Imperio tenent, ipſo iure et facto eſſe priuatos, ſicuti nunc et extunc eos priuamus: inſuper crimen laeſae Maieſtatis eos incurriſſe, ſancimus, et poenis omnibus in criminis laeſae Maieſtatis reos ſtatutis ſubiacere. Datum in oppido noſtro Frankofurt, VI. Idus Martii

tii, anno ab Incarnatione Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono: anno uero regni noſtri primo.

Apud Goldaſt. Conſtit. Imp. Tom. III. pag. 414.

XV.

Aurea Bulla Caroli IV. Rom. Imperatoris Norimbergae et Metis Anno 1356. ſancita.

Hanc quidem Diplomatibus ad originem Electorum ſpectantibus annumerandam, imo uel praecipuo inter ea loco habendam eſſe, nemo dubitauerit. Sed quoniam ubique obuia, et non ita pridem a celeb. Thulemario ex autographis Francofurtenſi, Vindobonenſi aliisque accuratiſſime edita eſt, eo B. L. remitto.

NOMINA DNN. RESPONDENTIVM,

QVI DISSERTATIONES

DE ORIGINE ELECTORVM

PVBLICE DEFENDERVNT.

M. CHRISTIANUS FRIDEMANNUS MARTINI.
Grunh: Miſn. S S. Theol. Cultor.

IOHANNES HENRICUS TEUBER.
Sorauia Luſatus S S. Cultor.

CASP. HENRICUS, IOHANNIS GEORGII F. NEUMANNUS.
Vitembergenſis. I. V. Cultor,

INDEX I.

PRAECIPVORVM SCRIPTORVM IN CONSCRIBENDA HAC COMMENTATIONE ADHIBITORVM.

Alberti Stadenſis Chronic. Helmſt. 1587. 4.

Dominici Arumaei Diſcurſus Politici ad Auream Bullam. Ienae 1663. 4.

Io. Auentini Annales Boi. Francof. 1627. f.

Caeſ. Baronii Annales Eccleſiaſtici Moguntiae 1601. f.

Io. Chriſtoph. Becmanni Hiſtoria Principatus Anhaltini Serueſtae 1710. f.

Io. de Beka et VVilhelmi Heda de Epiſcopis Ultraiectinis recogniti et notis illuſtrali ab Arn. Buchelio I. C. Vltrai. 1643. f.

Rob. Bellarminus de Translatione Imperii Romani a Graecis ad Francos, Antw. 1589. 4.

Mich. Beutheri Animaduerſiones ſiue Diſceptationes Hiſtoricae et Chronographicae, Argent. 1593. 8.

Petri Bizari Hiſtoria rerum Genuenſium, Antw. 1579. f.

Flauii Blondi Hiſtoriae Baſ. 1531. f.

Io. Henrici Boecleri Notitia S. R. Imperii, Argentorati, 1681. 8.

Antonii Bonfinii Res Ungaricae. Baſil. 1568. f.

Nicolai Burgundi Hiſtoria Bauarica, Helmſt. 1705. 4.

Abr. Bzouii Annales Eccleſiaſtici, Colon. 1616 f.

Sethi Caluiſii Chronologia, Francof. 1650. f.

Benedicti Carpzouii in legem Regiam Germanorum Commentarius Hiſtorico Iuridico-Politicus, Lipſiae. 1640. 4.

Centuriae Magdeburgenſes, Baſil 1624. f.

Hermanni Conringii Opus de Finibus Imperii Germ. Frf. 1693 4.

Eiusdem Exercitatio de Septemuiris ſeu Electoribus regni et Imperii Germanorum.

Eiusd. Exercitatio de Officialibus Imperii, ibid. ed.

Eiusd. Annotationes in Lampadium de Republ. Romano-Germ. Helmſtad. 1671. 4.

Eiusd. Liber de Origine Iuris Germ. Helmſt. 1669. 4.

Alberti Cranzii Saxonia. Frf. 1621. f.

Martini Cromeri Polonia, Colon. 1589. f.

Nic. Cuſani L. de Concordia Catholica in Opp. eius ed. Baſil. 1566. f.

Io Cuſpinianus de Caeſaribus, Argent. 1540. f.

Matthaei Dreſſeri Iſagoge Hiſtorica Lipſ. 1606. 8.

Io. Dubrauii Hiſtoria Bohemica, Baſil. 1575. f.

Georgii Fabricii Origines Saxonicae, Lipſ. 1606. f.

Eiusd. Res Memorabiles Germ. et Saxon. Lipſ. 1609. f.

Fr. Leutholffs von *Franckenberg* Schaubuhne der ieztregierenden Welt. Norimb. 1677. 8.

Marqv. Freberi Germanicarum Rerum ſcriptores Frf. 1600. f.

Io. Freinshemii de S. R. Imperii Electorum et S. Rom. Eccleſiae Cardinalium praecedentia Diatribae quinque, Argent. 1663. 4.

Caroli du Fresne Gloſſarium ad ſcripto-

res

res mediae et infimae Latinitatis, Francof. 1681 f.

Chriſtoph. Gewoldus de Septemuiratu S. Rom. Imperii, Auguſtae 1621. 4.

Melchioris Goldaſti Monarchia Francof. 1614. f.

Eiusd. Collectio Conſtitutionum Imperialium. Frf. 1673 f.

Eiusd. Politica Imperialia, Francof. 1614. f.

Eiusd. Replicatio pro S. Caeſarea et Regia Francorum maieſtate, illuſtribusque Imperii Ordinibus adu. Iac. Gretſerum. Hanouiae 1611. 4.

Eiusd. de Regno Bohemiae Commentarius. Frf. 1626. 4.

Petri Heigii Quaeſtiones Iuris Ciuilis et Saxon. Vitemb. 1609. 4.

Mich. Herzii Bibliotheca Germanica, Erfurti 1570. f.

Friederici Hortlederi Handlung und Ausſchreiben von Urſachen des Teutſchen Krieges. Frf. 1617. f.

Io. Georg. Kieffer Diſſert. de Electorum Origine et Poteſtate. Argent. 1671. 4.

Phil. Labbei et Gabr. Coſſartii Concilia, Lutetiae Pariſ. 1671. f.

Iac. Lampadii Liber de Republ. Romano-Germ. cum Annot. H. Conringii Helmſt. 1671. 4.

Chriſtoph. Lehmanni Chronicon Spirenſe, Frf. 1698. f.

Guiliel. Godofr. Leibnizii Codex Iuris Gentium Diplomaticus, Hanouerae 1693. f.

Io. Limnaei Ius Publicum Imperii Romano-Germanici. Argent. 1657. 4.

Bernhard. a Mallinkrot de Archicancellariis S. Roman. Imperii. Ienae 1666. 4.

Chriſtiani Matthiae Theatrum Hiſtoricum, Frf. 1684. 4.

Erici Mauritii Diſſertationes et Opuſcula, Gieſſa 1692. 4.

Ottonis Menckenii Exercitatio Hiſtorica ad Excurſum Baronii de Origine Electorum S. Roman. Imperii Lipſ. 1676. 4.

Io. Naucleri Chronologia. Tubingae 1516. f.

Theodorici a Niem Nemus Unionis, Argent. 1629. 8.

Io. Palatii Aquila Saxonica. Venetiis 1673. f.

Onuphrii Panuinii Liber de comitiis Imperatoriis Baſil 1558. f.

Dan. Parei Hiſtoria Palatina, Francof. 1632. 12.

Matth. Paris Opera, Paris 1644. f.

Caſp. Peuceri Chronicon.

Io. Piſtorii Illuſtrium Veterum Scriptorum German. Tomi II. Francof. 1583. f.

B. Platinae Hiſtoria de Vitis et Geſtis Summorum Pontificum Col. 1624. 4.

Epkonis Repkauii Speculum Saxonicum, Lipſiae 1624. f.

M. Antonii Sabellici Rapſodia Hiſtor. Pariſ. 1517. f.

[illegible] Liber de principuum, quibus electio Imperatoris in Germania commendata eſt, origine ſiue inſtitutione. Baſil. 1566. f.

Mich. Schiferer de Origine et Poteſtate Electorum in Romano Imperio Gieſſae 1626. 4.

Gabr. Schwederi Introductio in Ius Publicum, Tubingae 1685. 8.

Io. Strauchii Diſſertationes Exotericae, Gieſſae. 1679. 4.

Æneae Syluii Opera, Frf. 1707. 4.

Iac. Auguſt. Thuani Hiſtoria ſui temporis, Lutetiae 1609. 8.

Henr. Guntheri Thulemarti Octouiratus. Francof. 1688. 4.

Eiusd. Tr. de Bulla Aurea, Argentea, Plumbea et Cerea, in ſpecie de Bulla Aurea Caroli IV. Imp. Frf. 1697. f.

Io. Tritbemii Opera Hiſt. Frf. 1601. f.
Polydori Virgilii de Rerum Inuentoribus Libb. VIII.
Conradi Abbatis Urſpergenſis Chronicon, Argent. 1537. f.
Chriſtiani Urſtiſii Germaniae Hiſtorici Illuſtres Frf 1585. f.
Witichindi Annales cum Notis *Henr. Meibomii* in Tomo I. Rerum Germ. Helmſt. 1688. f.

INDEX II. RERVM.

CAP. I.
DE STATV CONTROVERSIÆ.

§. 1. *Momenta controuerſiae generatim proponuntur.*

§. 2. *Electoratus ab officiis aulae et cancellariae diſtinctio.*

§. 3. *Diſcrimen inter* Electores ſolitarios *ſ. ſtricte dictos, et inter* primarios *ſ. latiori ſignificatione acceptos.*

§. 4. *A quo tempore Electores illi locum habuerint.*

§. 5. *Ante Ottonum Impp. tempora Electores noſtros neque conſtitutos fuiſſe, neque conſtitui potuiſſe, oſtenditur.*

§. 6. *Scriptorum, qui de Origine Electorum commentati ſunt, diuerſitas generatim indicatur.*

CAP. II.
EORUM IUDICIA COMPLECTENS, QUI ELECTORES AB OTTONE III. IMP. VEL A GREGORIO. V PONTIFICE, VEL AB UTROQUE CONSTITUTOS ESSE, EXISTIMANT.

§. 1. *Horum Scriptorum diuerſitas indicatur, et iudicia ordine proferuntur.*

§. 2. *Eorum oppugnatores ac defenſores recentiores.*

§. 3. *Argumenta pro communi illa de Origine Electorum opinione.*

§. 4. *Baronii, Lehmanni, Limnaei, Conringii, aliorumque ad iſta reſponſiones.*

§. 5. *Argumenta contra eandem.*

§. 6. *Bellarmini, Gewoldi, Mauritii etc. exceptiones.*

§. 7. *Aliorum ad has reſponſiones.*

CAP. III.
EORVM IVDICIA COMPLECTENS, QVI, ELECTORES POST OTTONIS III. TEMPORA CERTO ALIQVO DECRETO CONSTITVTOS ESSE, EXISTIMANT.

§. 1. *Summa huius capitis diſtinctius proponitur.*

§. 2. *Recenſentur uariae Scriptorum opiniones, quibus origo Electorum repetitur* I.) ab Henrico II.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. *Sententiae huius argumenta conſiderantur.*
§. 4. II.) ab interregno Henrici II. mortem ſecuto.
§. 5. III.) a Friderico I. Ænobarbo.
§. 6. *Quid de hac opinione iudicandum.*
§. 7. IV.) ab Ottone IV. *cuius erroris occaſio et origo oſtenditur.*
§. 8. V.) a Friderico II.
§. 9. *Argumentum pro iſta ſententia.*
§. 10. *Argumenta contra eandem.*
§. 11. *Singularis* Baronii *opinio.*
§. 12. *In qua multa a uiris eruditis deſiderantur.*
§. 13. Io. Auentini et On. Panuinii *ſententia.*
§. 14. *Rationes Panuinii.*
§. 15. *Quid in illis deſideretur.*
§. 17. *Argumenta ſententiae Panuinianae oppoſita.*
§. 18. Mich. Beutheri *opinio originem collegii Electoralis a* Carolo IV. *repetentis.*
§. 19. *Argumenta pro ea.*
§. 20. *Argumenta contra eam.*

CAP. IV.

EORUM IUDICIA COMPLECTENS, QUI ORIGINEM ELECTORUM A NULLA PRORSUS CONSTITUTIONE, SED A CONSVETUDINE DEDUCUNT PER AUREAM BULLAM CONFIRMATA.

§. 1. *Auctores huius ſententiae recenſentur.*
§. 2. *Horum argumenta.*
§. 3. *Eorundem inter ſe diſſenſus.*
§. 4. 5. I. *de* tempore *introductae huius conſuetudinis.*
§. 6. 7. II. *de* Occaſione.
§. 8. 9. 10. 11. III. *de* numero Electorum ſeptenario.
§. 12. *Boecleri, Freinsheimii, Lampadii etc. contra hanc ſententiam obiectiones.*

CAP. V.

VERAM DE ORIGINE ELECTORUM SENTENTIAM COMPLECTENS.

§. 1. *Inſtitutum huius capitis exponitur.*
§. 2. *In uera Electorum origine inueſtiganda diſcrimen inter Electores ſolitarios et primarios ſtudioſe obſeruandum.*

SECTIO I.

DE ORIGINE ELECTORUM SOLITARIORUM.

§. 3. *Tales per Auream Bullam confirmatos eſſe, extra controuerſiam ponitur.*
§. 4. *Sed et iam ante eam extiterunt, utpote a quibus ſolis reges et Imperatores Romanorum electi ſunt*
§. 5. I. Carolus IV.
§. 6. II. Eduardus Anglus.
§. 7. III. Fridericus Miſnenſis.
§. 8. IV. Guntherus Schwarzburgicus, *de quo*
§. 9. *id diſtincte demonſtratur, et*
§. 10. *obiectioni cuidam occurritur.*
§. 11. V. Fridericus Auſtriacus

§. 12.

§. 12. VI. Ludouicus Bauarus: *quod*

§. 13. *inprimis ex diplomate electionis demonſtratur.*

§. 14. *Eundem pariter ac Fridericum aemulum a Duce quodam Saxoniae, ſaluo tamen ſolitarii Electoratus iure, electum fuiſſe, probatur.*

§. 15. *Indeque controuerſia: utrum Ludouicus Bauarus quatuor tantum, an quinque Electorum ſuffragia tulerit, componitur.*

§. 16. *Comitia Electoralia ſub Ludouico celebrata, et decreta publica de iure Electorum ſolitariorum facta.*

§. 17. *Electores h. t. a reliquis Germaniae Principibus diſtincti.*

§. 18. 19. VII. Henricus Luzenburgicus.

§. 20. *Luculenta Electorum a reliquis Germaniae Principibus diſtinctio eius tempore obſeruata.*

§. 21. VIII. Albertus Auſtriacus.

§ 22. IX. Adolphus Naſſouicus.

§. 23. X. Rudolphus I. Habspurgicus.

§. 24. *Hunc a ſolis VIIuiris Electoribus electum fuiſſe, ſeptem argumentis demonſtratur.*

§. 25. *Ab his comitiis* INITIVM ELECTORVM SOLITARIORVM *deducendum eſſe, ſex rationibus euincitur.*

§. 26. Occaſio *huius iuris ac poteſtatis ad ſolos VIIuiros Officiales reſtrictae duplex oſtenditur, 1. Ius eligendi praecipuum, quo iam ante utebantur, eiusque poſt Friderici II. obitum incrementa.*

§. 27. *Praecipue in electione Richardi et Alphonſi.*

§. 28. 29. 2. *Interregnum Germanicum.*

§. 30. *Electoratus hic ſolitarius iam ante Auream Bullam legis ſcriptae auctoritate confirmatus eſt.*

§. 31. *Sententia hactenus expoſita contra duplicis generis obiectiones uindicatur. I. eorum, qui collegium Electorale recentius eſſe, putant, ut uterque Beutherus.*

§. 32. *Horum argumenta excutiuntur.*

§. 33. *Noua Chriſt. Lehmanni obiectio proponitur, et*

§. 34. *ſoluitur.*

§. 35. *II. Qui collegium Electorale antiquius eſſe, exiſtimant, ut Er. Mauritius et H. G. Thulemarius.*

§. 36. - 40. *Ad quinque praecipuas horum rationes reſpondetur.*

§. 41. *Argumentis contrariis ab iisdem ſatisfieri non poſſe, oſtenditur.*

SECTIO II.

DE ORIGINE ELECTORUM PRIMARIORUM.

§. 1. *Loca et teſtimonia, in quibus horum Electorum mentio occurrit, recitantur.*

§. 2. 3. 4. 5 *Quae horum conditio ac praerogatiua fuerit, ex illis colligitur.*

§. 6. *Cum ſub finem ſeculi XII. A. 1197. quo Philippus et Otto IV. electi ſunt, nondum extiterint,*

§. 7. *Veriſimiliter origo eorum a Friderici II. temporibus repetitur.*

CAP. VI.

DE ORIGINE TITULI ELECTORIS.

§. 1. *Ordinis ratio redditur.*

§. 2. *Variae de origine tituli Electoris opiniones recenſentur, inprimis Pet.*

Albini, Onuphrii Panuinii et G. G. Leibnizii.

§. 3. *Vocabulum Electoris iam ab Auctore*

ctore Rhetoricorum ad Herennium uſurpatum.

§. 4. *VIuiris officialibus nunquam ante A. 1256. tributum reperitur. Unde ſpeciatim Bernardus Aſcanius Dux Saxoniae perperam uulgo Elector cognominatur.*

§. 5. *Inter poſteros tamen eius Albertus I. iam Anno 1273. in ſepulchrali inſcriptione Elector Saxoniae dicitur: quem titulum etiam alii deinceps retinuerunt:*

§. 6. *Etſi iterum poſtea a nonnullis omiſſum.*

§. 7. *Inter Electores Brandenburgicos Fridericus II. A. 1471. defunctus primus in epitaphio Elector cognominatus eſt.*

§. 8. *Origo et progreſſus uſurpati tituli Electoralis tribus propoſitionibus ſuccincte ob oculos ponitur.*

CAP. VII.

IN QUO PRÆCIPUAE DE ORIGINE ELECTORUM OPINIONES INTER SE ET CUM VERA SENTENTIA COMPARANTUR.

§. 1. *Inſtitutum huius capitis, tam diuerſorum de hoc argumento opinionum cauſas atque originem exponere. Vnde*

§. 2. 3. 4. 5. *oſtenditur, qua occaſione aut ueritatis ſpecie collegii Electoralis origo tributa fuerit I. Ottoni III. et Gregorio V.*

§. 6. *II. Henrico II.*

§. 7. *III. Interregno ante Conradum II.*

§. 8. *IV. Friderico I.*

§. 9. *V. Ottoni IV.*

§. 10. *VI. Friderico II.*

§. 11. *VII. Gregorio X. Pontifici R.*

§. 12. *a. VIII. Conſuetudini*

§. 12. *b. IX. Carolo IV.*

§. 13. *X. Temporibus ante Chriſtum natum.*

DIPLOMATA.

I. *Acta electionis Conradi IV. Romanorum regis, quae in A. 1233. uel 1234. incidunt, et aliquid de Electoribus innuere uidentur.*

II. *Alexandri IV. P. R. epiſtola ad Gerardum Archi-Epiſcopum Moguntinum de non eligendo ſub poena excommunicationis Conrado, (uulgo Conradino) Imp. Friderici II. nepote, ſcripta A. 1256. Continet antiquisſimam Electorum mentionem.*

III. *Urbani IV. Papae epiſtola ad Richardum electum regem Romanorum, de controuerſia electionis inter Alphonſum et Richardum, et argumentis utriusque partis.*

VI. *Rudolphi I. Imp. Auguſti decretum de iure eligendi Imperatorem inter regem Bohemiae et Ducem Bauariae controuerſo. A. 1275. factum.*

VII. *Rudolphi I. Romanorum regis conſtitutio de iure Electoratus in Romano Imperio regibus Bohemiae competente, A. 1290. facta.*

VIII. *Principum Electorum S. R. Imperii Diploma, quo donationes Pontifici Roma-*

Romano a Rudolpho Imp. factae confirmantur.

IX. Diploma de electione Adolphi Naſſouici ab Archiepiſcopo Moguntino ed. A. 1292.

X. Declaratio legatorum Brandeburgicorum circa pacta de eligendo rege Romanoram, facta A. 1308.

XI. Epiſtola ad Papam futurum cum decreto quinque Electorum Imperii, quâ declaratur electio Ludouici Bauari, ſimulque a Papa futuro requiritur, ut ſuo tempore ei coronam imponat, ſcripta A. 1314.

XII. Principum Electorum S. R. Imperii literae ad Benedictum XII. P. R. pe Ludouico Imp. et diſcordia Imperii ac Eccleſiae, datae ex comitiis Reinſenſibus A 1338.

XIII. Ludouici IV. Imp. Conſtitutio de Imperii iuribus et excellentia, et poteſtate electi Romanorum regis, lata in comitiis Colonienſibus. A. 1339.

XIV. Guntheri Schwarzenburgii Imp. Auguſti edictum de Imperii excellentia et poteſtate electi Imperatoris, A. 1249. promulgatum.

XV. Caroli IV. Imp. Aurea Bulla Norimbergae et Metis A. 1356. ſancita.

MAG 2022321

Digitized by Google

Digitized by Google